INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# E L E M E N T A
# AD FONTIUM EDITIONES
# XXXV

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
## AD POLONIAM SPECTANTIA
## V PARS
## H B A, B 2, 1531-37

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 7 5

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
## VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1974

### ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).

Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* I pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.

Vol. IV -- *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.

Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.

Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.

Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

## XXXV

### DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA

V PARS

H B A, B 2, 1531-37

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1975

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

# INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio | Pag. | VII |
| Bibliographia selecta | » | IX |
| Textus documentorum | » | 3 |
| Elenchus epistolarum | » | 209 |
| Index personarum et locorum | » | 217 |

3 tabulae

# INTRODUCTIO

*Hoc praesenti volumine, quae continuatio est seriei B2, edere pergimus epistolas procerum Polonorum, ad ducem Albertum annis 1531-1537 scriptas. Duobus primis istius periodo annis, sicut et periodo antecedenti, Christophorum Szydłowiecki, Regni Poloniae cancellarium, prae aliis videmus ad ducem in Prussia litteras dare. Cuius frequentes epistolae una cum annexis, tum et epistolae Petri Tomicki, Regni vicecancellarii, efficiunt, ut cancellaria Regni procul dubio primus sit fons notitiarum ad aulam Regiomontanam pervenientium. Mortuo vero Christophoro Szydłowiecki (30.XII. 1532), Ioannem Tarnowski, palatinum Russiae et exercituum Regni generalem capitaneum, saepius ac saepius ad ducem scribere perspicimus. Post eum venit, quoad quantitatem epistolarum, Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis, tum Plocensis, deinde Cracoviensis, initio cancellarii de facto vices gerens et sub fine supradictorum annorum Regni Poloniae cancellarius factus.*

*Ex iis, qui partium erant reginae Bonae, imprimis nominandus est Petrus Gamrat, tunc temporis episcopus Camenecensis, qui nonnisi annis sequentibus inter eos, qui ad ducem scribebant, principaliorem obtinebit locum. Praeter supranominatos, regi et reginae vicinos, scribunt et alii non pauci, v. g. uterque Górka, Lucas et Andreas, pater et filius, arctis cum duce amicitiae vinculis iuncti, Hieronymus Łaski, Andreas Tęczyński, Severinus Boner et alii. Nec desunt ii, qui de rebus mere privatis, vel suis ipsorum vel ducis, ad eum scribunt, qui vel de officialibus ducis queruntur, vel varios ab eo expetunt favores, vel ad ipsius petita respondent.*

*Quae de hac serie documentorum (B2) in praeviis voluminibus nostris annotavimus, hic non duximus repetenda. Ad bibliographiam quoque ibi collectam lectorem remittimus, hic nonnisi aliqua ad eam supplementa addentes.*

*Similiter ac in voluminibus hucusque editis, gratias iterum agimus quam maximas omnibus, qui opera sua nobis humaniter praestita conatus nostros in documentis ex Archivo Regiomontano in lucem edendis valide adiuverunt, scilicet: Doctori Ioanni Koeppen, Archivi Regiomontani Directori, Doctori Bernardo Jähnig, eiusdem Archivi Assessori, Dominae Edith Pásztor, in Universitate Romana Professori, ac Rev. Domino Ludovico Tautu, his pro auxilio in nominibus locorum et personarum Hungaricarum, Valachicarum, Moldavicarum* etc. *vel recte legendis vel emendandis, illis pro hospitalitate in Archivo suo nobis demonstrata et pro textuum germanice scriptorum correctione.*

C.L.

## BIBLIOGRAPHIA SELECTA

*(In hoc elencho bibliographico omittimus opera, quae iam in voluminibus El. XXX, XXXI et XXXIV attulimus).*

F o n t e s :

ACTA TOMICIANA, XIII - XVII (abbr. A. T.).

LASCIANA nebst den aeltesten evangelischen Synodalprotokollen Polens 1955-61, ed. Dalton, Berlin 1898, in: *Beiträge zur Geschichte der evangelischen Kirche in Russland,* III Band.

PADNIEVIUS Ph., Petri Gamrati archiepiscopi Gnesnensis vita, in: Hartleb K., Żywot biskupa Gamrata i kwestia autorstwa tego utworu, Lwów 1952.

S t u d i a :

BARTEL O., Filip Melanchton w Polsce, in:*Odrodzenie i Reformacja w Polsce,* t. 6, 1961.

BIAŁKOWSKI L., Urzędnicy ziemscy podolscy wieku XVI i początku XVII in: *Rocznik Polskiego Towarzystwa Heraldycznego,* VIII, 1926-27 Kraków.

BOGATYŃSKI W., Hetman Tarnowski. 1488-1561 in: *Przegląd Polski,* 1913-14, XLVII, XLVIII, XLIX.

BOGATYŃSKI W., Hetman Tarnowski. W 400-lecie bitwy obertyńskiej in: *Przegląd Współczesny,* 1931. (*Invenire non potui*).

BRANDI K., Die deutsche Reformation und Polen, München 1933, in: *A. Brackmann, Deutschland und Polen* (*Beiträge zu ihren geschichtlichen Beziehungen*), München u. Berlin, 1933, pp. 81-95. (Rec. Kot S. in: *Reformacja w Polsce,* VI., 1934).

FORSTREUTER K., Zu den Kriegsstudien des Herzogs Albrecht von Preussen, in: *Beiträge zur Preussischen Geschichte im* 15. *und* 16. *Jahrhundert,* 1960, Heidelberg.

GÓRSKI K., Ród Odrowążów w wiekach średnich in: *Rocznik Polskiego Towarzystwa Heraldycznego,* VIII, Kraków 1926-27.

HARTLEB K., Stosunek hetmana Tarnowskiego do reformy Kościoła in: *Kwartalnik Historyczny*, XXVI, 1912.

HARTLEB K., Jan z Ocieszyna Ocieski, Lwów 1917.

HARTLEB K., Gamrat Piotr (*PSB**).

HARTLEB K., Piotr Gamrat w świetle nieznanego życiorysu, Lwów (Rec. W. Pociecha, *Kwartalnik Historyczny*, 1939).

HARTLEB K., Żywot biskupa Gamrata i kwestia autorstwa tego utworu, Lwów 1925.

JASNOWSKI J., Chodkiewicz Hieronim (*PSB*).

JØRGENSEN K. E., Oekumenische Bestrebungen unter den polnischen Protestanten, København 1942.

KAWERAU G., Die Versuche Melanchthon zur katholischen Kirche zurückzuführen, in: *Schriften des Vereins für Reformationsgeschichte*, Halle 192, 19. Jahrgang, H.3.

KOWALSKA H., Ławski Stanisław (*PSB*).

MORAWSKI K., Beiträge zur Geschichte des Humanismus in Polen, II. Die Berufung Melanchthons nach Polen in: *Sitzungsberichte der k. Akademie der Wissenschaften*. Phil.-Hist. Klasse, Wien 1889, Bd. 118, Abt. III).

PAJEWSKI J., Węgierska polityka Polski w połowie XVI w., Kraków 1932.

POCIECHA W., Walka sejmowa o przywileje Kościoła w Polsce w latach 1520-37 (*Reformacja w Polsce*, II, Warszawa 1922).

POCIECHA W., Rzym wobec starań o sprowadzenie Melanchtona do Polski in: *Reformacja w Polsce*, IX, 1947.

PRZEŹDZIECKI A., Jagiellonki polskie, Kraków 1868-78 (5 vol.).

SIKORSKI J., Łaski Stanisław (*PSB*).

THIELEN P. G., Die Kultur am Hofe Herzog Albrechts von Preussen, Göttingen 1953.

VOCHT H., de, John Dantiscus and his Netherlandish Friends as revealed by their Correspondence 1522-1546, Louvain 1961.

WOTSCHKE T., Der Briefwechsel der Schweizer mit den Polen, Leipzig 1908 in: *Archiv für Reformationsgeschichte. Texte und Untersuchungen.* Ergänzungsband III.

WOTSCHKE T., Zum Lebensbilde Laskis in: *Archiv für Reformationsgeschichte*, Jhg 8, 1911.

WOTSCHKE T., Der polnisch-brandenburgische Grenzstreit 1533 in: *Historische Monatsblätter für die Provinz Posen*, 1914.

---

*) *PSB* abbreviatio pro: *Polski Słownik Biograficzny*.

# TEXTUS

# 1531

*N. 213.*

*Petricoviae, 4.I.1531.*

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro munere gratias agit; non inconsulte fore censet, si dux in gratiam reginae Bonae se insinuare cupit, ut ad eam litteras suas det, quarum specimem a se scriptum duci mittit.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 8.*
*H B A, B 2, K.354.*

*N. 214.*

*Petricoviae, 8.I.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntium ducis non statim absolutum esse ob regis urgentes occupationes; transmittit exempla litterarum a Ludovico Gritti et Hieronymo Łaski acceptarum.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 18.*
*(Annexa: schedula adiuncta, exemplum litterarum Ludovici Gritti ad regem Poloniae, Budae, 23.XII.1530 datarum, iam ed.: A.T.XII, 418;*
*exemplum litterarum Ioannis regis Hungariae ad reginulam Hedvigem, Budae, 18.XII.1530 datarum, iam ed.: A.T.XIII, 18;*
*exemplum litterarum Hieronymi Łaski ad Ch. Szydłowiecki, Budae, 23.XII.1530 datarum, iam ed.: A.T.XIII, 18)*
*H B A, B 2, K.354.*

*N. 215.*

*Uniejów, 20.I.1531.*

*Petrus Wrocimowski, dapifer Cracoviensis et regius secretarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*luceos, ferinas cervinas et mel crudum sibi mitti petit; scribit aliqua nova de Turcis (in annexa schedula).*

*Sigill.*
*H B A B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Dum Vestra Illustrissima Dominacio feliciter revertebatur de Petrokowia et venerat in Lowycz, ubi littere[a] Vestre Illustrissime Dominacioni

ex parte mei, servi humilis, date fuerunt in manus per nepotem Reverendi Domini Prepositi Lowicensis. Ad quas litteras nihil cum responsum est, tandem deliberavi non negligere, secundum voluntatem et mandatum Illustrissime Dominacionis Vestre, dum cum eadem conferebam in causa, quum iverat versus Pyotrkowiam, quod deberem mittere in Neydembork post Illustrissimam Dominacionem Vestram.

Ibi tunc mihi promisit graciose optatum meum adimplere, ut puta unam tunnam salsatorum[b] luceorum, unam tunnam ferinarum salsatarum cervinarum et unam tunnam crudi mellis, et mandare Domino Capitaneo in Neydembork, ut mihi extradat suprascripta et singularem litteram apertam, signatam sigillo Illustrissime Dominacionis Vestre mediante, ad tempora vel ad annos, secundum placitum Illustrissime Dominacionis Vestre. Ego quidem polliceor et obligatus ero servire fideliter pro gracia, quam erga me concessit ex singulari et innata clemencia sua, tanquam Domino meo graciosissimo. Potest enim indubitanter credere, quod ego, in quantum possem, serviam ad placitum Illustrissime Dominacionis Vestre, quod non penitebit eandem mihi illud primum Jorgyalth dedisse.

Rogo denique humiliter, dignetur me in hac causa consolari propter amicos meos, qui posszunt[z] una mecum Vestre Illustrissime Dominacioni servire ad placitum eius, et ut eciam meus inimicus et amicus sciat me fore Illustrissime Dominacionis Vestre servum... Datum ex Unyegyow, curia mea, in die Sanctorum Fabiani et Sebastiani Martyrum, anno Dominice Incarnacionis 1531.

Eiusdem Illustrissime Dominacioni[z] Vestre
humilis s[ervus]
Petrus Wroczymowszky, alias Dapifer Cracoviensis et Regie
Maiestatis Secrettarius.

a) *in ms.* litteras
b) *in ms.* salsatarum
z) *sic in ms.*

*Schedula adiuncta:*

Novitates, que nuper allate sunt Sacre Regie Maiestati in recessu de Petrkow, quomodo Rex Ioannes esset liberatus ab obsidione in vigilia Sancti Thome. Demum exercitus Germanicus in tres partes sunt divisi.[z] Municiones sunt in castro archiepiscopali Strigoniae, alii intrant claustrum Sancti Pauli inter montana, ubi se munivit valde tercia pars exercitus iam in Danubio, et hoc vulnerati ad octingenti,[z] qui volebant per aquam ire versus Preschbork, sed non possunt propter Turcos et Ungaros, qui sunt ex parte Ioannis. Scriptum est pro certo, quod Inbrachim Bassa vadit cum ingenti exercitu in Hungariam ad propellendum exercitum Germanorum. Demum vastare proposuit Moraviam et totam Slesiam. Hoc pro certo scriptum est Regie Maiestati, que exiit feria secunda post Octavas Epiphaniarum Domini de Pyotrkow versus Cracoviam.

Scripsit eciam Sacre Regie Maiestati nostre, quod Ludvicus, Ducis Venetorum filius, eciam erat in obsidione cum Rege Ioanne Ungarie, et est ipse Ludvicus factor magnus Imperatoris Turcarum, rogando Maiestatem Suam, ut mitteret Legatum notabilem ad Imperatorem in Constantinopolim, aduc ante mensem Marcium, rogando Suam Celsitudinem, ut a proposito desistat suo. Est enim Imperatoris intencio et

deliberacio vastare totam Germaniam et Italiam, et vadit per terram et per mare cum ingenti classe. Ideo rogat et consulit idem Ludvicus Grit Sacre Regie Maiestati, ut se imponeret in causam Cristianitatis et imposcat in littera, ut antecederet Imperatorem, antequam exiret in campum ad colligendum exercitum, inimicus Regie Maiestatis. Expectamus quolibet die alias novitates, que sperantur pervenire.

z) *sic in ms.*

*N. 216.*

*Cracoviae, 3.II.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro ferina sibi ad nuptias filiae missa gratias agit; mittit exemplum litterarum Sigismundi ab Herberstein de rebus Hungariae, Flandriae et Brabantiae.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 47.*

*(Annexum: exemplum litterarum Sigismundi ab Herberstein de die 18.I.1531, quod hic publicamus)*

*H B A B 2, K.354.*

*Annexum: Sigismundus ab Herberstein ad Christophorum Szydłowiecki, 18.I.1531.*

Illustri et Magnifico Domino Cristophoro de Schidlowiecz, Castellano et Capitaneo Cracoviensi.[a]

Illustris et Magnifice Domine Domine.

Post mei ipsius et servitiorum meorum commendationem.

Non dubito, quin Vestra Illustris et Magnifica Dominacio iam pro comperto habeat Serenissimum Regem meum iam electum et publicatum esse in Regem Romanorum et, ut spero, coronatum, quamvis Elector Saxo[1] suum filium[2] ad hanc electionem impediendam miserit. Nichil tamen effecit. Nolui tamen offitium meum pretermittere, quin et id Vestrae Illustrissimae Dominacioni significarem.

Deinde Sacra Cesarea Maiestas vocat sororem suam, Reginam Mariam, in locum Domine Margarethe[3] defuncte, ut gubernet Flandriam et Brabanciam etiam in absentia Suae Cesareae Maiestatis.

Iam tandem quasi certum habemus Turcum brevi adventurum, cum id ab omni fere parte mundi habeamus, et inimici nostri illius causa insolenciores facti pacemque iam dudum optatam respuant minitentque ruinam, quam et ipsi non effugient. Ex qua ipsi sibi summam felicitatem et solacium capiunt et universam [Rempublicam] Cristianam turbant et perdunt.[b]

Nisi Serenissimus Rex nimium confisus fuisset de illis indutiis,[c] forte et nunc quoque aliter se res haberet et non tantum insultarent. Iactitant Oratores Serenissimi Regis mei in Constantinopoli esse captos.

Rogo, si quid certi de his habet, me dignetur cerciorem reddere... Ex Vienna, 18 Ianuarii, anno Domini 1531.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
deditissimus
Sigismundus ab Herberstain manu sua.

a) *manu Christophori Szydłowiecki.*
b) *in ms.* perdant
c) *in ms. inditiis*
z) *sic in ms.*

1) *Elector, dux Saxoniae: Ioannes Constans (Johann der Beständige).*
2) *Ioannes Fridericus I.*
3) *filia imperatoris Maximiliani I.*

*N. 217.*

*Cracoviae, 5.II.1531.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis, magister curiae reginae,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia et servitia sua offert.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 52.*
*H B A B 2, K.354.*

*N. 218.*

*Cracoviae, 11.II.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de convivio filiae suae a rege [Sigismundo I] et regina [Bona] occasione matrimonii eius cum Ioanne Tarnowski, oblato; de prandio in domo sua in honorem familiae regiae dato; mittit aliqua nova; nuntiat regem ad Turcas Ioannem Ocieski missurum.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 56.*
*H B A B 2, K.354.*

*N. 219.*

*Cracoviae, 17.II.1531.*

*Nicolaus Szydłowiecki, castellanus Sandomiriensis et Regni Poloniae thesaurarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Venceslaum Skrzydłowski commendat, in servitutem ducis ingredi volentem.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 61.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 220.

*Cracoviae, 18.II.1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Venceslaum Skrzydłowski commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 63.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 221

*Cracoviae, 18.II.1531.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis, curiae reginae magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*parata servitia et obsequia offert.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 64.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 222.

*Odrzywol, 21.II.1531.*

*Derslaus Odrzywolski*
*Alberto in Prussia duci*
*de emenda siligine.*

*Sigill.*

*H B A B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps, *etc.*

Nichil gratissimum utilissimumque mihi aput me reperi, quam mea obsequia, si que potuissent Vestre Illustritati adimpleri voluntatem, quam quod consequi Vestre Illustritatis, Illustrissime Princeps, meis totis conatibus satisfacere voluerim et fecerim scriptis, Vestre Illustritatis pro frugibus adipiscendis. Verum Vestra Illustritas iam mihi significare neglexit, quia diligenciam fecimus cum Domino Nowomyeszky,[1] convicino meo, ut satisfacere potuissemus voluntati Vestre Illustritatis in cumulandis siliginibus, sed quia omnes nostri convicini iam contractum fecerunt cum his mercantibus siliginem, in annum autem futurum si Vestre Illustritati opus siliginis habendi fuerit et Vestra Illustritas necessitaverit nostra opera, Vestra Illustritas optinebit... Datum in Odrzywol, feria tercia Carnisprivii,[*] MDXXXI.

Derslaus Odrzywolsky
Vestre Illustritatis servus obsequentissimus.

[*] *Probabiliter agitur de feria tertia ante feriam quartam Cinerum.*

1) *Bartholomaeus Nowomiejski.*

N. 223.

*Nowe Miasto, 22.II.1531.*

*Bartholomaeus Nowomiejski*
*Alberto in Prussia duci*
*de emenda siligine.*
*Sigill.*
*H B A B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps, *etc.*

Quum mea servicia nunquam merita per Vestram Illustritatem in litteris ad me scriptis esse quovis modo cognita nunc percepi, me exillarari permiserunt. Quare affectu meo, ut servorum Vestre Illustritatis minimus, obsequia mea nunc exibeo commendoque. Quia, Illustrissime Princeps, Vestra Illustritas mihi, tanquam obsequii sui promptissimo, significare Illustritatis Vestre litteris voluit per nuncium suum Cristoferum Odrzyvolsky, ut mea opera possem ordinare lastos centenos, aut quid maius fore potuerint, siliginis cumulande. Id, Illustrissime Princeps, Vestre Illustritatis voluntas per me, tanquam obsequii sui promptissimum, obtinuerit. Verum quidem ego convicinique mei aduc tempore autumnali suas fruges his cum siligine navigantibus foro dediderunt. Ergo, Princeps Illustrissime, si littere Illustritatis Vestre paulo ante me pervenerint, lastos centenos ducentenos ordinare Illustritati Vestre meis solicitacionibus potuerim. Quippe ego nunc, visis Illustritatis Vestre litteris, ea opera, que celerior fore potuerat, quadraginta lastos a quibusdam cumulavi. Post parvum autem temporis spacium plura cumulare conabor. Quas fruges Vestre Illustritati nunc mittere proposui. Saltem, Illustrissime Princeps, mihi in Gdanave [1] apud mihi notum Simonem Tresler, civilem Gdanensem, aut per litteras aut per quempiam Illustritas Vestra notificare dignetur, ad quem mee fruges Vestre Illustritati deponi forte debuerint. Summam quidem peccunie iuxta Illustritatis Vestre litterarum posicionem, circa fruges prefatas, deposicionem actepisse non dubito... Datum ex Novemyastho, feria quarta die Cinerum, MDXXXI.

Bartholomeus Novomyesczky
Vestre Illustritatis servorum obsequentissimus.

1) *Gedanum.*

N. 224.

*Cracoviae, 25.II.1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nepotem suum commendat.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 70.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 225.

*Cracoviae, 26.II.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro mille aureis hungaricalibus sibi dono missis gratias agit, obsequia sua declarat.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 72.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 226.

*Cracoviae, 27.II.1531.*

*Severinus Boner, zupparius Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*officia defert, vinum dono mittit.*

*Vest. sigill.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 227

*Posnaniae, 14.III.1531.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de salvo conductu pro Nicolao Minkwitz a duce petito; se equum ducissae missurum significat.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 86.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 228.

*Posnaniae, 14.III.1531.*

*Andreas a Górka*
*Alberto in Prussia duci*
*de opera sua Nicolao Minkwitz, a duce sibi commendato, praestita.*

*Sigill.*
*H B A B 2, K.354.*

*N. 229.*

*Gedani, 30.III.1531.*

*Bartholomaeus Nowomiejski*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut pecunia pro frumento ad ducis usum a se coempto quantocitius Gedanum mittatur.*

*Vest. sigilli.*

*H B A B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De sanitate atque incolumitate diuturna eiusdem Illustrissime Dominacionis gauderem ex animo vehementer, tanquam de Domino meo graciosissimo. Illustrissime Princeps et Domine, Domine meus Graciosissime. Prout mihi Vestra Illustrissima Dominacio dignata est intimare, suis litteris me affectando, ut illi copiam aliquam frumenti seu siliginis in partibus nostris pro utilitate Illustrissime Dominacionis Vestre compararem atque Gedanum versus in scaphis deducerem, ego tandem volens me gratum eidem Vestre Illustrissime Dominacioni efficere, prout semper presto ad mandata eiusdem me exhibere volo paratissimum, feci diligenciam summam in his frumentis coemundis, quam potui. Et coemi pro utilitate eiusdem circiter lastos centum, quos iam in Gedano paratos reperiet apud me in hospicio meo, videlicet Simonem Dreszler. Itaque rogo Vestram Illustrissimam Dominacionem, tanquam Dominum meum graciosissimum, velit eo cicius cum pecuniis Gedanum versus mittere saltem valentibus, ut homines isti, a quibus frumentum predictum coemi, qui iam dudum pro solucione in Gedano expectant, quantocicius expediri valeant, et ut eciam frumentum predictum in locum, quem voluerit pro arbitrio suo, ponere mandaret.

Ceterum, Illustrissime Princeps, credo Vestram Illustritatem minime latere me esse in servicio Sacre Regie Maiestatis, Domini nostri clementissimi, exactorem videlicet terre Rawensis. Quapropter vereor, ne eadem Sacra Regia Maiestas ob neglectum officii prenominati per tempus hoc, quo eidem Vestre Illustritati inservio, aliquam indignam occasionem adversus me conciperet. Rogo eandem Vestram Illustritatem, tanquam Dominum meum graciosissimum, velit ad Suam Regiam Maiestatem, vel saltem ad Dominum Vicetesaurarium Regni, Dominum videlicet Nicolaum de Schidlowetz, litteris suis intercedere, ne mora ista, qua nunc inservio Vestre Illustritati, in indignacionem aliquam apud Dominum meum mihi reputaretur, quia profecto inservio Vestre Illustritati ex animo libenter, tamquam Domino meo graciosissimo, et rogo vehementer, ne missio pecuniarum istarum in longum protraheretur, nam homines expectant... Datum in Gedano, feria quinta ante Dominicam Palmarum, penultima Marcii, anno etc. XXXI.

Eiusdem Vestre Illustritatis servitor
Bartholomeus Nowomyesky
deditissimus.

N. 230

*Cracoviae, 3.IV.1531.*

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*doctorem Gundelium commendat pollicetur que catechismum sibi missum avide se esse lecturum, quo expendere possit,* « num sit aliquid, quod tantopere dampnant nonnulli, quibus nec lectus est neque visus ».

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 98.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 231.

*Cracoviae. 8.IV.1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se servitori ducis, Hermanno Landwusth, multum adesse non potuisse referi, nam ille opera sua minime indiguerit; pro favoribus, quibus dux nepotem suum prosequitur, gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 232.

*Gedani, 14.IV.1531.*

*Bartholomaeus Nowomiejski*
*Alberto in Prussia duci*
*conqueritur, quod factores ducis pro frumento a se coempto stabilitam pecuniam solvere recusant.*

*Sigill.*

*H B A B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Literas, quas ad me eadem Sua Illustrissima Dominacio misit, copiose intellexi, ubi mihi de factoribus Serenissimi Domini parentis sui beneficentissimi Regis Dacie [1] significat, qui copiam frumenti per me advecti et coempti a me recipere deberent. Quod longe aliter evenit, nempe illi nullas pecunias paratas mihi exhibitas, me curiose spe solucionis protrahunt,[a] summam in cirographo contentam recipere recusant,[b] et homines isti, a quibus frumentum coemi, coguntur una cum ipsorum familiis expectare una mecum, in gravem iacturam meam et hominum prenominatorum, qui me multis conviciis lacessere non desinunt, precipue cum eos expedire minime valeo, sumptus ingentes et fatigas, curas eciam, imo verius tribulaciones sustinens, ut revera loquendo, si racio Vestre Illu-

strissime Dominacionis non haberetur, aliud quicquam incipiendi mihi ansa preberetur, precipue cum mihi se daturos aureos Rinenses[z] iustum pondus non habentes exhibent, quibus hominibus istis, a quibus frumentum comparavi, solvere non possum. Monetam eciam aliam bonam neque porrigentes. In qua re ego maximum damnum una cum hominibus predictis sustineo.

Et ita, cum ego rem ipsam non ex mea ipsius voluntate agressus sum, sed instigacione literarum Vestre Illustrissime Dominacionis, rogo Vestram Illustrissimam Dominacionem, tanquam Dominum meum graciosissimum, velit istius damni perpessi racionem habere, quia ego volens obtemperare eidem, relinquens negocia Regie Maiestatis, Domini mei clementissimi, id negocium inivi, sperans exinde aliquod emolumentum adipisci. Cum tamen longe secus accidit et cum ingenti mea iactura, spero in hoc facto Illustrissimam Vestram Dominacionem incommodum tale non favere, tanquam fideli suo servitori, qui paratissimus sese ad mandata eiusdem exhibere non cessabit incunctanter... Datum in Gedano, feria sexta infra octavas Pasce, MDXXXI.

Eiusdem Illustritatis Vestre servitor deditissimus
Bartholomeus Nowomyeszky
Exactor terre Ravensis.

a)-b) *in margine*
z) *sic in ms.*
1) *Fridericus I.*

*N. 233.*

*Onoltzbachii, 19.IV.1531*

*Georgius marchio Brandenburgensis*
*Christophoro Szydłowiecki*
*rogat, ut dux lanio suo, 400 boves pellenti, liberum transitum per Regnum Poloniae a rege [Sigismundo I] impetret.*
*(Germanice)*
*Exempl.*
*H B A B 2, K.354.*

*N. 234.*

*Constantinopoli, 19.IV.1531.*

*Ioannes Ocieski, orator regis Poloniae ad imperatorem Turcarum,*
*Christophoro Szydłowiecki*
*de suo Constantinopolim ingressu et de legationis suae processu.*
*Exempl.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 113.*
*H B A B 2, K.354.*

N. 235.

*Cracoviae, 22.IV.1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se et filium suum commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 115.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 236.

*Cracoviae, 26.IV.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de oratore ducis absoluto; de legati Turcici et Stanislai Łaski adventu; mittit exempla litterarum cum novitatibus.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 118.*

*(Annexa: exemplum litterarum Hieronymi Łaski de die 4.IV.1531, iam ed.: A.T.XIII, 99; exemplum litterarum Stanislai Lanckoroński de die 16.IV.1531, iam ed.: A.T.XIII, 107)*

*H B A B 2, K.354.*

N. 237.

*Cracoviae, 27.IV.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de oratore ducis, quamquam tardius, sed in commodum et ex dignitate ducis, absoluto.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 123.*

*H B A B 2, K.354.*

N. 238.

*Varsaviae, 28.IV.1531.*

*Anna dux Masoviae*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux apud regem operam suam interponat, quo ipsi debitum salarium persolvatur.*

*Vest. sigilli.*

*H B A B 2, K.354.*

## N. 239.

*Wąsosz, 28.IV.1531.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis, magister curiae reginae, Alberto in Prussia duci*
*de bonis ducis a se administratis refert; Michaelem Stradomski, ducis subditum de aliquo reatu inculpatum, commendat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A B 2, K.354.*

... Illustrissime *etc.*

Iam dudum deluberaveram,[z] parum ocii et temporis nactus, oportunitate, tenutas et officia districtuum Lomzensis et Visznensis, que ex gracia Regie Maiestatis administracioni et provisioni mee commissa sunt, perlustrare. Et he possesiones [z] Vestre Illustrissime Dominacionis dominiorum sunt contigue. Volui extemplo, cognita Vestre Illustrissime Dominacionis hic non in longinquo presencia, ad eandem profectionem parare eiusque sanitatem, quam felicem et perpetuam cuperem, invisere. Sed nondum ad ipsas possesiones mihi pertingenti, sed in Petrowsko apud Reverendum Dominum Episcopum Plocensem [1] in componendis quibusdam negociis pacis remoranti, Regie Maiestatis littere, et tandem post aliquod [z] dies Reginalis Maiestatis alie oblate mihi sunt, quibus Sue Serenissime Maiestates mandant, quo se nichil immorando propter quedam certa et ardua negocia Cracoviam actingerem. Quibus litteris ac mandato parens, non potui suo pro hac vice satisfacere desiderio, presertim cum longius, quam sperabam, Vestra Illustrissima Dominacio cum curia sua protunc agebat. Cuius ego presenciam, tanquam Domini graciosissimi, conspicere et servicia mea offerre cupiebam.

Preterea, Illustrissime Princeps, subolevit iste presencium exhibitor, terigena [z] et subditus Vestre Illustrissime Dominacionis, Michael de Stradomi, quod semper Vestra Illustrissima Dominacio ex ingenita [a] sua bonitate speciali ac munificentissima prosequitur gracia, et ita studiose venit suplicando, ut sua, que habet apud Vestram Illustrissimam Dominacionem negocia, recomendarem, sperans sibi eam recommendacionem aliquid profuturam, ut ex ea ad pristinam Vestre Illustrissime Dominacionis graciam pervenire posset et negocia sua commodius curare. Rogo itaque pro et cum eo, ut Vestra Illustrissima Dominacio, que ectiam [z] ignotis suffragia petentibus, tanquam cristianus Princeps, se benignum et graciosum prestare consuevit, ectiam hunc pauperem, qui pro reatu penitere, si quid deliquid,[z] non recusat, ut aliquid gracie ad hanc meam humilem recommendacionem optinere possit, precipue cum eam spem de observancia et integritate meorum meritorum erga Vestram Illustrissimam Dominacionem firmissime concepit... Ex Waczosze, datum 28 Aprilis, anno Domini 1531.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
perpetuus servitor

Nicolaus Volssky Castellanus Sochaczeviensis
Magister Curie Sue Reginalis Maiestatis
manu propria.

a) *lectio incerta.*
z) *sic in ms.*

1) *Andreas Krzycki.*

N. 240.

*Pragae, 3.V.1531.*

*Carolus Kuczer*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, Regni Poloniae cancellario,*
*de Comitiis Pragensibus absolutis et de contributionibus ad bellum contra Turcas gerendum institutis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A B 2, K.354.*

Erleichter...

Ich hab Eier Gnaden geschriben for 10 tagen, ich bin der hoffnungen, es ist Eier Gnaden worden.

Item Eier Gnad wist, do schik ich Eich von her Nibzicz ein[a] briff,[a] der wirt Eier Gnaden an zweifl alls gruntliche schreiben.

Item Eier Gnad wist, das der lantag alle bischlozen yst nor auf ein artikl, das yst der, das die heren sollen geben ein dryttel und di ritterschaft das andren drittel und di stett ein dritteil.

Item gnediger her, die stett di widern sich und formainen, es wer zu fil auf si, das si ein drittl geben sollen, und haben das auf dem ko. mt. gisetzt, der sol es erkennen. Hat in ko. mt. zu antwort geben, si sollen auf datto fereinen miteinander, so siche si nicht fereinen konen, so wellen sein mt. ein ausspruch thon.

Item sie haben ferwilliget hunderttausent fl. pargelt und, welcher for 2 tausent schok wert hat, der sol ein ross wol zugericht halten, aber 3 fussknecht; si sagen, es wer fil folk machen.

Item si haben si ferwilliget di bemisch heren, so der Turk seer stark keme, so sol yderman auf sein, wi er gisessen ist an lant.

Item die merisch heren hob yre potschaft gyhebt alhi[b] bei dem bemisch heren und sy gipetten und angilangt um hilf, so der Turk auf si zug. Di bemisch heren haben in hilf zugisagt.

Item ko. mt. hat itzundt bigert alle di lant, di do zu der kron von Beham eingileinat sein als Merer, Zlesinge, Lauzniczer lant, sol itzundt auf Phingsten zusamen komen und dobi ratschlagen, wi man dem Turken ein widerstant sol thon.

Item als ich ferstee, das gewiss ein anstant ist gimacht[c] auf ein jar von primo May, hat er si angifangen und sol wider ausgen in May.

Item Eier Gnad wist, das der her Sygundt[1] ist auf dem wegk giwest zu Ticzschein zu ko. mt. von Poln. So hoer ich sagen, das der her feboda,[d] her Laski,[2] sein bygert hat. So hat man noch in geschikt und ist also gen Gran zogen. Gebe Gott, das si es wol ausrichten.

Item Eier Gnad wist, das di konigen Anna[e][3] herkomen yst und sol alhy in dem kindelpeet geligen auf das lengst in 3 wochen.

Item auf dato yst herkomen phaltzgraff Friderich und phaltzgraff Phylip und di 6 krigsreet aus dem reich; was si alhi machen, weiss ich nicht, sunder sein seer eillent kommen und stetz mit dem konig in retten.

Item man ist gewisse hoffnung,[f] das ko. mt. mit margraff Jorgen in

ein fertrag komen wirt. Es yst herzog Friderich von Lignicz auch herkomen.

Item gnediger her wist, es yst fil folk, der den anstant mit dem Turken nicht lobet. Si mein, der Turk wer si auf das jar seer sterken.

Item ich hab mit ein grossen heren dervon giredt, der des konigs rat yst, der hat mir fil ursach gisagt, das wol sei, das ein anstant sei, und hat mir es also ferfürt, das kais. mt. wer in Decembri ein consilio haben, wiwol si bebstliche hailiget[4] das weret; doch wil es der kaiser nicht anderst haben, und derselbige her fermeynet, das offenwaer were, das grosse uneinkeit sei zwischen dem Deiczen, und wen si schon itzundt hilf hetten, gebs auf dem Turken auf 6 monat, es hett wenig giholfen, sunder er fermainet, wen des consilio ferendt wirt, so wirt einkeit unter dem Deiczen. So weren in di Deiczen auf 6 jar hilf gebin, das man winter und in sumer mag wider dem Turken krigen.

Item er fermeinedt auch, das der kais. mt. das jar mit konig fon Frankreich und Engellandtt[5] handl wirt, di in auch ein hilf weren geben und der kaiser alle sein macht, di er hat, auf dem Turken legen wirt.

Item ich hoer sagen, das der kayser auser dem lant nicht wirt, dan er hab for einkeit in glauben gimacht, und ein zug wider dem Turken thut.

Item meer hat mir derselbige her gisagt, wen schon das alles dem kayser fellet, das reich hat bigert von dem konig, das er sol das konigreich von Ungern einleimen, das es zu dem reich gihorsam were, so wellen si in das Ungerlantt helfen gewinen und derhalten und wellen es ko. mt. lossen und sein erben zu yren lebtag.

Item gnediger her wist, als ich hoer, so sol ko. mt. den ganze sumer alhi beleigen zu Prag, ausergenomen er zog in das reich. Item gnediger her wist, das ko. mt. oft Eier Gnaden gidengk in allen guten. Ich hab in gisagt, wi Eier Gnad hat geben Eier Gnad eltzte tochter dem grosmechtigen heren graff von Tarnau. Er hat si ferwundert, das Yre also ein alte tochter habt gihabt. Sein mt. fermeinet 12, Eier Gnad hett nicht 12 jar ein weib gihabt. Ich hab sein mt. gisagt, das Eier Gnaden tochter wol bei 15 jaren alt ist...

Was neis wirt forkomen, wil ich Eier Gnaden zuschreyben. Geben zu Prag den[g] 3. May 1531.

Karl Koczer

Dem erleichten grossmechtigen heren, heren Cristoff von Zydlovecz, her hauptman zu Krakau, koniglicher majestet von Poln oberster kanzler etc., mein gnedigen heren.

a) *supra lineam.*
b) *sequitur expunctum:* gehabt
c) *sequitur verbum expunctum.*
d) *pro « wewoda » (woyewoda).*
e) *supra lineam.*
f) *in ms.* hofnug
g) *in ms.* aden

1) *Herberstein.*
2) *Hieronymus, pal. Siradiensis.*
3) *Anna Jagellonica, uxor Ferdinandi.*
4) *Clemens VII.*
5) *Henricus VIII.*

N. 241.

*Poryte, 5.V.1531.*

*Andreas Niszczycki, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de frumento duci coempto.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.354.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quamvis, Illustrissime Princeps, habui nonnullos tractatus tentavique fori a multis mercatoribus pro siliginis quadam summa certa lastorum, qui michi spopondebant,[z] paratis pecuniis eam ipsam siliginem solvere, tamen ego, quia primum fueram requisitus nomine Illustritatis Vestre per Dominum Capitaneum Dzialdoviensem, quatenus centum lastos siliginis Illustritati Vestre ordinarem, mox eam ipsam summam siliginis paravi et paratam versus Gedanum demisi, volens me conservare serviciis meis Illustritati Vestre.

Et nihilominus vellem placere pro virili mea devictis[z] et indefessis serviciis meis. Quot Optimo Deo favente Illustritas Vestra non defuturum me semper agnoscet. Opus enim est, Illustrissime Princeps, quatenus Nunctium suum ad Gedanum mittere velit, qui haberet litteras suficientes ab Illustritate Vestra levandi et accipiendi siliginem, et quis nomine esset, hoc est necessarium, ut specificatum esset litteris Illustritatis Vestre, michi spectantes.[z]

Quod autem de solucione summe pecuniarum pro centum lastis siliginis prefatis, obnixe rogo Illustritatem Vestram, dignetur eam ipsam summam pecuniarum secundum forum, quem[z] feci cum Domino Capitaneo Dzialdoviensi, in manus filii mei, Generosi Nicolai Castellani Sieprcensis, ante festum Penthecosten duas septimanas extradi mandare, per eundem Capitaneum Dzialdoviensem in toto exsolvere, pro quolibet lasto siliginis per octo sexagenas numerando monete et numeri polonicalis. Quoniam is Dominus Capitaneus supra nominatus, forum mecum faciendo, sic solvere nomine Illustritatis Vestre promisit, et insuper litteras Illustritatis Vestre, quas ad eundem scripserat, ad me misit propter maiorem certificacionem. Certumque me facere dignetur Illustritas Vestra eo celerius, flagitto enixius, et scriptis et litteris Illustritatis Vestre, ubi mei servitores rescire possent in Gedano, et quis esset, qui eam siliginem accipere deberet, et quomodo servitores mei ad noticiam cum eo pervenire possint. Quoniam his omnibus opus est, et ut Nunctius Illustritatis Vestre, qui in Gedanum esset missus, quatenus mediam alteram septimanam ad minus constitueretur, et quia spero, Optimo Deo favente, pro illo tempore eam ipsam siliginem fore adducturam.[z]

Si possibile esset, Illustrissime Princeps, dignetur mittere tricentas sexagenas antiquorum schelingoff, obnixe rogo, et residuum summe monete nove Crakoviensis grossorum novorum. Et iterum suplico Vestram Illustritatem, dignetur me eo celerius litteris suis informare in his omni-

bus, superius contentis, litterasque Latine scriptas mittere dignetur. Datum in Porente,[z] die Veneris post Vitalis, anno Domini MDXXXI.

Eiusdem Vestre Illustritatis
ad omnia paratus
Andreas de Niscice, Pallatinus Plocensis
et Heres in Porite.

z) *sic in ms.*

*N. 242.*

*Pragae, 6.V.1531.*

*Georgius marchio Brandenburgensis*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, Regni Poloniae cancellario,*
*intercessionem apud regem expetit in liberando Ioanne a Neunstetter significatque negotium Opoliense et Ratiboriense regi Romanorum [Ferdinando I] relatum esse, cuius tamen responsum ea de re adhuc expectari.*

*(Exemplar)*

*H B A, B 2, K.354.*

Unser freunthschaft zuvor.

Wolgeborner edler besonder lyber bruder. Wir haben Ewer schreyben, uns bey ko. wird zu Polen unsers gendigen lyben hern und ohems gesannthem rathe Nickelnn Nipschicz gethan, alles inhalts vernomen und bedancken uns zu vorderst sein ko. wird. Auch legen Euch gancz freunthlich und bruderlich Ewer getrewen furderung des zugeschickten raths und beystandts, auch das Ir bisher zu erledigung unsers raths und lyben getrewen Hansenn von Neunstetenn mit allem fleys gehandelth und noch handeln wolleth; es ist auch demnoch nochmals unser freunthlich und bruderlich bit, Ir wollet so vil Euch muglich uff mittel und weg gedencken und handeln, auch bey ko. wird zu Polnn derhalben mit allem fleys anhalten, domit genanter Neunstetter an sondere beschwerung als unser getrewer dinner seiner gefencknus und vorhaftung erlediget werden und in unser schloss keyn Huniad zyhen und uns[a] unser sachen doselbest ausrichten und widerumb zu uns komen moge. Und wollet Ir in dem dermosen handeln, wy unser sonder gut vortrawen zu Euch steth, das wollen wir ganz freuntlich und bruderlich widerumb kegen Euch beschulden und vordynnen.

Wir geben Euch freuntlicher meynung zu vorstehen, das uns romische, ungrische und behemische ko. mt. in unsern sachen Opelnn und Ratibornn halben gehoert, aber uns noch bisher keyn antwort ader beyscheyd gegeben hot, wy Ir dan das und, wy solche handlung steht, aus dem schreyben, so wir hyneben an ko. wird derhalben gethon, an zweyfel vornemen werdeth.

Und wes[b] wir Euch sonsten ferner auf Ewre hyvor gethon schreyben zu schreyben und anzuzeigen haben, das wellen wir bey genantem Nickelnn Nypschicz thun. Alleyn das wir Euch hymit von wegen Ewer furderung und aller freuntschaft, domit Ir uns in vil weg bey ko. wird

gutwillig erscheynth, grosen und hohen danck sagen und das dasselbig umb Euch widerumb in freuntschaft zu beschulden nicht vorgessen wellen. Datum zu Prag am Samstag noch Fylypy et Jacoby anno XXXI.

Von Gots genoden Georg margroff zu Brandenburg, in Preussen, zu Stetin, Pomern, der Kaschuben und Wenden, auch in Schlesien, zu Ratibor und Jegerdorff herczog, burggroff zu Nurmberg und furst zu Rugenn.

a) *correctum ex:* unser

b) *supra lineam.*

*N. 243.*

*Cracoviae, 10.V.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de poenali mandato duci per cubicularium regium misso et de litteris ad imperatorem [Carolum V] et episcopum Culmensem [Ioannem Dantiscum] secundum ducis desiderium mittendis.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 145.*

*H B A. B 2, K.354.*

*N. 244.*

*Cracoviae, 13.V.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de nuntio Turcarum Cracoviae praesente.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 155.*

*(Annexum: exemplum litterarum Pauli de Thorna cum novitatibus ex Hungaria et Germania, de die 28.IV.1531, iam ed.: A.T. XIII, 125)*

*H B A, B 2, K.354.*

*N. 245.*

*Cracoviae, 13.V. 1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia et servitia offert; de negotio Georgii marchionis Brandenburgensis, ducis fratris, ex litteris regis [Sigismundi I] dux latius intelliget; refert de rebus Hungariae.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 156.*

*H B A, B 2, K.354.*

N. 246.

*Przeworsk, 14.V.1531.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et capitaneus exercituum Regni Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio servitoris ducis, Melchier, sibi commendato.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 157.*

*H B A, B 2, K.354.*

N. 247.

*Cracoviae, 16.V.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de regis [Sigismundi I] et reginae [Bonae] bona valetudine refert; se quoque bene valere scribit.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 160.*
*H B A, B 2, K.354.*

N. 248.

*Cracoviae, 27.V.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de filia duci nata gaudet; scribit rumorem de morte ducis Moscorum incertum esse; mittit aliqua exempla litterarum ex Bohemia (ex quibus litterae tantum episcopi Olomucensis in Archivo asservatae sunt); scribit de nuntio Turcarum imperatoris, reditum Hieronymi Łaski, palatini Siradiensis, expectante, et de morte archiepiscopi Gnesnensis [Ioannis Łaski].*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 173.*

*(Annexa: schedula de nuntio palatini Moldaviae, iam ed.: A.T.XIII, 160; exemplum litterarum episcopi Olomucensis, Stanislai Turzo, de 16.V.1531, quas hic publici iuris facimus).*

*H B A, B 2, K.354.*

*Annexum: Stanislaus Turzo, episcopus Olomucensis, ad Christophorum Szydłowiecki, 16.V.1531.*

... Spectabilis *etc.*

Reddite mihi sunt hodie primum, inter publicas supplicaciones, Vestre Magnificencie bine littere humanissime et amicis officiis plene,

que me mira affecerunt voluptate, tum quod iam olim nullas a Vestra Magnificencia acceperam, tum eciam maxime ob id, quod plane intellexerim singularem erga me et propensum Vestre Magnificencie animum benevolum mihi apud Vestram Magnificenciam salvum esse et integrum. Proinde habeo et ago Vestre Magnificencie toto pectore gracias amplissimas, quod pro sua magnificencia mecum illa communicare dignata est, que cum multa expectacione avide scire cupiebam. Studebo vicissim ultro et officiosissime, quecunque grata acceptaque fore intellexero, cum Vestra Magnificencia deinceps crebrius liberiusque partiri et communicare.

Serenissimum Regem et Principem nostrum scire dignetur Vestra Magnificencia Prage adhuc versari. Et impetrasse ab Ordinibus eiusdem Regni centum milia aureorum Renensium, quorum partem dimidiam adnumerare debebunt Maiestati Regie ad festum Divi Bartholomei et alteram ad festum Divi Georgii. Cetera quoque negocia sub manu procedunt et optima facilitate tractantur.

Ex Italia accepi hodie pro re exploratissima quendam Hyspanum Enobarbum, vernacula eorum lingua Barbarussa appellatum, pyratam acerrimum, audacissimi et invicti animi hominem, ne dicam latronem desperatissimum, ad Imperatorem Turcarum descivisse et totum ferme Mare Mediterraneum infensum reddidisse, ac precipue Tyrrenum, adeo ut in Hostiensem portum impetum fecerit et magnam inde abegerit predam, Urbemque Romam et Summum Pontificem [1] omni intercluserit comeatu. Sed ego suspicor hec tela esse ex pharetra illorum, qui multis annis luserunt Principes omnes christianos. Et nunc quoque novum ludum incipere contendunt et adnitentur, ut auctiores fieri possent. Sed nihil mirum, si in mari monstra nascantur, cum apud Germanos et alias naciones mira et inaudita quottidie audiam fieri in celo et in terra prodigia... Date Cremsirii, die Martis ante celebritatem Ascensionis Domini, MD31.

Stanislaus Episcopus Olomucensis
Vestre Magnificencie deditissimus
manu propria.

*In dorso:* Spectabili ac Magnifico Domino, Domino Christophoro a Schydlowecz *etc.*

1) *Clemens VII.*

*N. 249.*

*Cracoviae, 27.V.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius, Alberto in Prussia duci officia sua offert.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 171.*

*H B A, B 2, K.354.*

*N. 250.*

*Cracoviae, 28.V.1531.*

*Nicolaus Wolski, magister curiae reginae Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*contentum se esse nuntiat, quod dux Michaelem de Stradom (in ms. Stradon), quamvis a se commendatum, delinquentem tamen punivit; de filia duci nata gratulatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.354*

*N. 251.*

*Cracoviae, 28.V.1531.*

*Stanislaus Wlossek*
*Alberto in Prussia duci*
*servitia sua offert et mittit exemplum litterarum imperatoris Turcarum et exemplum litterarum Caroli V de convocatione Concilii Tridentini.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 174.*

*H B A, B 2, K.354.*

*N. 252.*

*Cracoviae, 29.V.1531.*

*Nicolaus Szydłowiecki, castellanus Sandomiriensis et Regni Poloniae thesaurarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de filia duci nata gratulatur speratque ducem mox filio masculo auctum iri.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T. XIII, 177.*

*H B A, B 2, K.354.*

*N. 253.*

*Cracoviae, 30.V.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de multis litteris a se acceptis ex variis mundi regionibus, praesertim*

*a Hieronymo Łaski, de conditionibus induciarum inter Ioannem et Ferdinandum Hungariae reges.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 179.*

*(Annexa: duae schedulae iam ed.: A.T.XIII, 178 et 179; exemplum litterarum Hieronymi Łaski Buda, 18.V.1531 ad episcopum Cracoviensem datarum, iam ed.: A.T.XIII, 162; scriptum s.d. de conditionibus induciarum in Hungaria, quod hic publicamus).*

*H B A, B 2, K.354.*

*Annexum: De conditionibus induciarum in Hungaria:*

Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo primo.

Articuli induciarum per unius anni integri revolucionem, a prima videlicet die mensis Maii iam preterita usque ad ultimam Aprilis proxime venturam, utraque die inclusa observandarum, editi et firmati.

Imprimis, quod utrinque penitus cessetur ab armis.

Deinde, postquam tempore induciarum, que interposite erant a vigesima secunda Ianuarii ad vigesimum secundum Aprilis, utroque die incluso, plures ab utraque parte easdem inducias violenciis, occupacionibus et depredacionibus violarunt, utraque citra Principum voluntates et mandata, et ut haec honestius observentur, talis modus datus est procedendi contra eosdem.

Ordinentur quatuor Commissarii, viri boni et probi, ita quod quivis Principum duos ordinet. Qui conveniant in Strigonio ad festum Divi Ioannis Baptiste, cum pleno utriusque Principis mandato et omnibus querentibus iusticiam racione depredacionum tempore induciarum, sive praeteritarum sive praesencium. Decernant citacionem et vocent ad praesenciam eorum illum, contra quem queritur, et simpliciter audiant et procedant ad deffinitivam sentenciam, iuxta prudenciam et constienciam illarum,[z] non obstante ordine iuris Regni.

Quilibet Principum teneat ad minus quingentos pedites et tricentos equites, qui exequantur ea, que dicti Commissarii deffinierint. Et si necessitas postulaverit, uterque Principum addat suis tormenta bellica, secundum quod videbitur pro condicione et oportunitate commodum.

Quilibet Principum poterit suos, qui suis vel ipsi Principi iniuriam fecerit, aut in Principem suum quitquam commiserit, aut inobedientem se exhibuerit, corrigere et punire secundum suam voluntatem. Et alius Princeps nullo modo se causae alterius subditi intromittat, vel defendendo, vel iuvando, vel acceptando illum in fidelitatem et subiectionem suam contra voluntatem alterius Principis et bona fide.

Item ubi vero oritur differencia racione castrorum, civitatum, oppidorum vel villarum et ceterorum huiusmodi, quis fuerit possessor tempore illo, quo induciae trimestres et praesentes ceperunt, et quis racione induciarum debite possidere debeat, iam dicti Commissarii habeant et alia diudicare.

Liceat omnibus mercatoribus, aliis privata agentibus, et Nunciis[a]

quoque publica agentibus, libere dominium alterius peragrari. Non minus sit liberum per utriusque dominia ire, redire libere, eciam sine salvo conductu, Oratoribus et Nunciis ab uno Principe ad alium, etiam Sacram Romanorum Cesaream Maiestatem et Summum Pontificem.

Omnibus mercatoribus utriusque partis sit liberum in utriusque Regni principalibus[z] et dicionibus omnes merces, qualescumque sint et ex antiquo fuerint, emere, vendere, pellere, ducere, vehere per terram, sine omni impedimento et interdicto utriusque Principis aut eorum locumtenencium, aut quorumcumque officialium, solutis tamen solvendis, uti est consuetum.

Item quod nullus subditorum ob alterius cuiusvis debita vel excessus arestetur, impediatur vel interteneatur, sed unusquisque actor sequatur forum rei, et iudices nullo modo protrahant iusticiam querenti administrare, non observatis illis prolixis fucinis iuris, sed procedant simpliciter et de plano, sine strepitu iuris. Si autem quispiam iudicum indebite protraxerit aut denegaverit iusticiam, tunc ille lesus bono fundamento deducat illum coram Locumtenente vel Palatino sui Principis et Domini, et Locumtenens vel Palatinus bene informatus poterit illi dare litteras, ut sit liberum arestando alterum de altera parte, aliter iniurium.

Item post susteptas inducias vero ab utraque parte, debebit utraque pars in Regno Hungariae illos omnes Comitatus, arces, civitates et omnia fortalicia aliaque bona, quecumque ad diem induciarum in sua potestate habebit, per tempus induciarum libere tenere et possidere, non obstante quod sint unius vel partis adherencium aut servitorum.

Item quod partes praedictae in Comitatibus omnibus proventus Camerae Regiae iustos et legittimos interea percipere ab incolis suis et suorum omnium possint et debeant, tam ex integro quam particulariter.

Incole possessionati omnes iure suo in bonis et possessionibus suis, quas tempore susteptarum induciarum obtinebant, libere tenere et possidere, non obstante quod sint unius vel partis adherencium vel servitorum.

Item quod induciae in causis hereditariis et ab aliis antiquis suspense maneant, lites vero et differenciae, que de novo emerserunt, post susteptas priores et istas praesentes inducias, hoc modo dirimantur, ut quando res agenda veniet inter eos, qui parcium sunt adversarum, tunc is, qui iniuriam patitur, pro eo agat coram Comite illo, in cuius Comitatu ambo resident. Comes tamen adiungat sibi alium Comitem vitinum, qui sit de parte querentis iusticiam.

Inter eos vero, qui partis unius tantummodo sunt, fiant iudicia more solito.

In exactionibus vero dicarum et subditorum, cum in multis Comitatibus utraque pars partem habeat, et ob hoc disceptacio vel differencia de diversitate subditorum oriatur, asserendo scilicet una pars esse suam, altera quoque suam, inveniendus est iste modus, quod videlicet ex illo Comitatu, ubi est dica, accipiantur ex utraque parte duo vel quatuor probi et honesti viri, qui bene ipsam differenciam inter ipsos diffiniant, in quo arbitrio et illorum sentencia standum erit.

Item quod durantibus praemissis induciis et treugis presentibus nemo fidelium et subditorum partis alterius cum castris, castellis et quibusvis aliis fortaliciis et bonis ad partem reliquam defficere et neque per eam partem quoquomodo acceptare aut suam partem alicui seduci debeat vel possit.

a) *in ms.* Nuncios
z) *sic in ms.*

*N. 254.*

*Cracoviae, 5.VI.1531*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit exemplum litterarum Ioannis Ocieski ad se scriptarum Constantinopoli; refert de causa sua cum Georgio marchione Brandenburgensi, ducis fratre, habita, de qua litteras Nicolai Nibschitz mittit.*
*Vest sigilli.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 186.*

*(Annexum: exemplum litterarum Ioannis Ocieski datarum Constantinopoli, 17.IV.1531, iam ed.: A.T.XIII, 112).*

*H B A, B 2, K.354.*

*N. 255.*

*deest.*

*N. 256.*

*Cracoviae, 13.VI.1531.*

*Gregorius Skora de Gaj*
*Alberto in Prussia duci*
*ut terminus causae, quam de quibusdam lacubus in bonis Mielno cum adversariis suis, prout actor, habet, prorogetur.*

*Vest sigilli.*

*(Annexum: litterae cuiusdam famuli Gregorii Skora de Gaj de eadem re).*

*H B A, B 2, K.354.*

N. 257.

*Kubrae, 15.VI.1531.*

*Cristinus Kuberski, vexillifer Visnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit litteras intercessorias ad ducem Masoviae.*

*Vest sigilli.*

*H B A, B 2, K.354.*

N. 258.

*Cracoviae, 17.VI.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Sigismundi ab Herberstein in legatione Cracoviam adventu in causa ineundi matrimonii inter regem Poloniae iuniorem et filiam regis Ferdinandi [Elisabeth]; de Hieronymi Łaski cum 150 equitibus ingressu; de legato Moscovitico a rege Ferdinando redeunte; de adventu ex Turcia Andreae Carcocandella.*

*Sigill.*
*(Cum schedula adiuncta).*

*Iam ed.: A.T.XIII, 197.*

*H B A, B 2, K.354.*

N. 259.

*Poniemoń, 14.VII.1531.*

*Andreas Maćkowicz, tenutarius Volkinicensis et Lepunensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro filio suo, ut in schola litterarum Regiomontana manere possit et praecipue, ut* « scripturam et linguagium Germanicum ediscat ».

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

Illustrissime *etc.*

Dederam quidem ad curiam Vestre Illustrissime Magnificencie in[a] serviendo filium meum Marcynko per Dominum Nykel Nypszycza, pro quo eodemque filio meo Marcynko Dominum mihi aprime collendum, Vestram Illustrissimam Magnificenciam, humiliter peto, ut Vestra Illustrissima Magnificencia eundem filium meum vellet et mandaret tradi ad ludum litterarum, ubi posset ad promptiorem ac expediciorem famulatum Vestre Illustrissime Magnificencie fieri, ut ediscat scripturam et linguagium Germanicum. Et hoc Vestra Illustrissima Magnificencia vellet facere ex speciali gratia Sue Illustrissime Magnificencie ac propter

humilimam peticionem meam, uti Dominus mihi aprime gratiosissimus. Quam gratiam ac benevolenciam Vestre Illustrissime Magnificencie ego una cum filio meo promerebimur fidelibus obsequiis reservire totis conatibus nostris usque dum, quoad vivemus, uti Domino nobis gratiosissimo... Datum in Ponyemoni, feria sexta in vigilia Divisionis Apostolorum, anno Reincarnacionis nostre MDXXXI.

Minimus servorum Vestre Illustrissime Magnificencie

Minimus servorum Vestre Illustrissime Magnificencie
Andreas Maczkowycz, Tenutarius Volkynyczki y Lyeponcki,
fronte humili cedit.

a) in *expunctum videtur.*

*N. 260.*

*Cracoviae, 21.VII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimonii inter filium ducis Münsterbergensis Caroli et Annam ducem Masoviae.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 243 (sub data 22.VII.1531).*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 261.*

*Cracoviae, 21.VII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de quibusdam arcibus (Strigoniensi, Vischegradensi, Agriensi et Casei Fori) a duobus Hungariae regibus, Ioanne et Ferdinando, in sequestrum regi Poloniae [Sigismundo I] et Georgio duci Misnensi concessis; de legatione Hieronymi Łaski ad regem Ferdinandum et imperatorem Carolum V in negotio conditionum pacis inter duos reges Hungariae.*

*Vest. sigilli.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 242.*

*(Annexa: exemplum litterarum Ludovici Gritti ad Ch. Szydłowiecki, datarum Constantinopoli 1.VI.1531, iam ed.: A.T.XIII, 183 ex orig. in Bibl. Czart. Crac.; exemplum litterarum Nicolai Gerendi de 30.VI. 1531, quod hic publicamus).*

*H B A, B 2, K.355.*

*Annexum: Nicolaus Gerend, electus episcopus Transilvaniensis, ad Christophorum Szydłowiecki, 30.VI.1531.*

Spectabilis *etc.*

Inter alia, que multa adversa passus sum, actessit et hoc (quod

molestissimum fuit), ut non coram, non per Internuncios, non per litteras cum Spectabili et Magnifica Dominatione Vestra, sicuti institueram ab inicio, uti et colloqui potuerim. Quod tempori iure ascribet et mihi ignoscet Spectabilis Magnificentia Vestra. Scio, quam moleste animo ferat detrimentum patrie nostre, ut verus Hungarus, Spectabilis et Magnifica Dominatio Vestra, et quantum animo angatur, ubi tanti mali finem nullum videat, sed indies recrudescere videat et formidet. Nescio, Domine et Pater Illustrissime, quid dicam. Nihil enim difficilius solet et esse periculosum, quam de Regnorum statu ac Principum negociis loqui, maxime his, qui omnium consiliorum, ut nos sumus, expertes sint.

De Hungaris, de Hungarorum Regno et salute agitur. Soli Hungari omnium ignari, neglecti et spreti latent, cum tamen racio suadeat nemini Hungarorum salutem chariorem esse quam Hungaris debere. Sed hec vadant. Scio, vidi et certus sum de Spectabili et Magnifica Dominatione Vestra, quam sollecite de Regni huius afflicti salute cogitet et angatur. Et nos certe iam ad mentis quandoque alienacionem usque turbamur. Equidem paratus essem, ut perpetuo in Regno externo servirem ac equum curarem, modo per quemcunque salus Regno acquireretur. Sed malum sine fine video. Nam si Turce (quod Deus caveat) vincent prelio, et Regnum et se ipsum Rex Ioannes perdet et totam Rempublicam Christianam, et ante omnia vicina queque Regna. Si autem prelio rem non committent, sic ut cepit, carpendo Regnum et amicum se ostendendo, Turcus Regnum consumet. His duobus annis, postquam Ioannes in Regnum rediit, credat Magnificentia Vestra Turcas supra ducenta milia christianorum ex Hungaria sola abduxisse, supra illam cladem, qua per vices nos ipsos consumimus.

Si item Germani bello et vi Regnum Hungarie occupabunt, parum certe Hungarorum supererit. Nam si solis nobis, fidelibus Serenissimi Romanorum et Hungarie Regis, parcent, certe Hungaria non erit Hungaria. Amore Christi Spectabilem Magnificentiam Vestram rogo, ut pro sua prudentia et in Hungariam benevolentia cum Domino suo, Sacra Maiestate Polonie, Domino meo clementissimo, tractet et inveniat medium aliquod, ne ad hec extrema deveniamus. Sed ut sic Regnum hoc vel reliquias Regni servet, ne nomen et honorem imprudenter ammittamus. Et si salvi esse volumus, tempus est, ut resipiscamus.

Audio ab aliquibus partium Ioannis Regis dici, quod soleat dicere ipse Ioannes. Si sufficere viderem, inquit, Ferdinandum ad conservandum Regnum Hungarie, vi manifesta et aperta non vel unicam horam Regno inhererem, sed cedere paratus essem et Regno et, si tempus ita ferret, etiam ipsi vite. Sed cum, inquit, videam Ferdinandum hisdem artibus, quibus ego teneo Regnum, ambire, a Turco scilicet inducias ac pacta diversa petere, non video, cur mihi cedendum esset. Hec inter nos amici partium Ioannis circumferunt. Sint ab eo dicta necne, non constat. Hoc quidem, Domine et Pater mi, fatendum est, nisi christiani Principes uniti communi consilio communibusque viribus, terra et mari, Reipublice Christiane succurrant, statim peribimus, et certe particularibus vel etiam generalibus induciis nemo a Turco christianos eripiet. Vi, vi agendum. Adhuc enim periculo nostro extremo docti sumus eum semper plus lucratum in pace quam eos, quibuscum pepigit, ad fallendam fidem, quam dat, servat et, ut dicitur, fraude sua in parvis sibi fidem prestruit, ut mercede fallat maiore. Nihil est, quod christianos magis perdat quam dissidentes sui, quod adeo fit pro peccatis nostris.

Satis fuisset ad servandum Regnum hoc (ne dicam repellendos etiam

Turcas), quod his quatuor annis cum summa ignominia et morte multorum ammisimus. Sed certe nudam etiam et penitus perditam Hungariam cogentur Principes recuperare, aut sua omnia ammittere. In hiis induciis et pace nihil aliud lucrati sumus, quam quod viam perdendi Portugalliam seu Lusitaniam aperuimus, vel aliquid tale, et nostram impotenciam deteximus. Sed Deus mihi parcat, quia puto nihil sine causa tales Principes fecisse. Sed ad rem. Si vera sunt, que nomine Ioannis Regis, ut prescripsi, circumferantur, bonum esset eum inducere re aliqua certa, de sua et christianorum Principum viribus, ut se sufficere Dominus noster clementissimus ostenderet.

Quod nunquam aptius fieri posset, quam per Sacram Maiestatem Regiam Polonie. Eius enim dicto puto Ioannem Regem obsecundaturum. Si autem non sufficiunt, cur nos ita misere perdunt, non est qui aliud de Regno Ioannis arbitretur, quam et ipsum et Regnum eius absumptum iri a Turco, sive bello vincat, sive in pace amicus sit. Si item Dominus noster (ut spem in Deo habemus) cum Principibus christianis superior futurus sit, de Ioanne item actum est et sic ipsi undique mors. Sed, ut ego intelligo, si rem certam de Principum christianorum concordia et in Turcas expedicione intelliget Ioannes, puto, conveniret cum Domino nostro in aliqua conditione et Regnum non exponeret aperto periculo. Et hoc, ut prescripsi, non potest commodius fieri, quam per Serenissimum Regem Polonie. Illius enim verba credit et consilia sequitur. De nostris negociis Spectabilis Magnificentia Vestra omnia intelliget ex his, que ad Dominum Oratorem Domini nostri scripsimus. In hoc certa sit Spectabilis et Magnifica Dominatio Vestra, nisi occupata per Ioannem Regem restituantur, Turcis Cibinium[1] adherebit, quod Turci ante omnia acteptabunt et in hoc laborant, ut alterum Rhagusium habeant. Rogo Spectabilem Magnificentiam Vestram, multitudini verborum ignoscat. Equidem hec et omnia prudentie Spectabilis Magnificentie Vestre commendo et amori in Hungaros... Cibinii, 30 Iunii 1531.

Servitor Nicolaus de Gherend
Electus Transilvaniensis et Thesaurarius Regius
manu propria.

1) *hodie: Sibiu (opp. in Transilvania).*

*N. 262.*

*Stecyguby, 24.VII.1531.*

*Alexander Iłowski*
*Alberto in Prussia duci*
*promissam sibi a duce annuam pensionem solvendam expetit.*

*Sigill.*
*(Germanice)*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 263.

*Cracoviae, 27.VII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de conspiratione adversus «caesarem» Tartarorum Precopensium, ab uxore eius cum aliis proceribus tentata, ab ipso detecta, et de conspiratoribus severissime punitis.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 266.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 264.

*Posnaniae, 12.*)VIII.1531.*

*Andreas a Górka*
*Alberto in Prussia duci*
*de longiori silentio in scribendis litteris se excusat; de exemptione bonorum regalium per reginam* [*Bonam*] *facta refert; de sua Cracoviam profectione nuntiat.*

*Sigill. Autogr.*
*(Cum schedula adiuncta)*

*H B A, B 2, K.355.*

... Illustrissime Princeps et Domine, inprimis diligentissime et magnis precibus Illustrissimam Dominacionem Vestram oratam habeo, quatinus desidie aut pigricie ascribere vel imputare nollet, quod adeo rare vel, ut verius scribam, quasi nunquam mee ad Illustrissimam Dominacionem Vestram perferuntur littere. Longum esset, Illustrissime Princeps, de hoc scribere, que res me a scripcione continuerunt, sed hoc Illustrissima Dominacio Vestra certo sibi persuaderi potest: me propter melius hoc fecisse. Nam cum divina opitulante gracia nihil hoc tempore innovatum est, quod Illustrissimam Dominacionem Vestram scire ex re esset existimarem, volo intelligi de illis rebus etc. etc., facile me a scripcione continui. Sin autem aliquid evenisset, profecto non pretermisissem neque unquam pretermittam. Non potui me tamen diucius continere, quin sanitatem Illustrissime Dominacionis Vestre hoc nunctio meo inviserim, quam ei optimam, felicem atque diutissimam a Deo Optimo Maximo precor et faveo, non secus quam Domino et parenti meo.

De exempcione bonorum regalium, per Reginalem Maiestatem factam,[z)] quod scire expostulat ac mihi declarare dignetur[z)] voluntatem Illustrissime Dominacionis Vestre esse, ut ego possem aliquid habere in Ducatu Illustrissime Dominacionis Vestre etc., ut verum fatear, contentus fuissem, ut se Reginalis Maiestas ab huiuscemodi exempcione continuisset. Verum ex quo contineri non potuit, ego profecto non magni facio, nam si aliquam partem inscripte summe, que non parva fuit, dimittere potuissem, procul dubio optinuissem advitalitatem. Sed ego

malui in toto quam in parte summam meam levare. Nacta vero et offerente se hac oportunitate, quod antea optavi, nunc plurimum abs Illustrissima Dominacione Vestra oro, quatinus me per hunc servitorem meum litteris suis cerciorem efficere vellet et gracia sua me adiuvare, ut ego aliquid in Ducatu Illustrissime Dominacionis Vestre aquirere de bonis huiusmodi possem, que pro condicione mea et valore summe, quam paratam ad decem milia florenorum habeo, esset, vel si Illustrissima Dominacio Vestra aliqua bona impignorata haberet, uti mihi consensum exemendi largire graciose dignaretur. Cupioque namque hoc non tam gracia commodi, quam ut eo in loco essem, ubi et commodius servire et iucundissima presencia Illustrissime Dominacionis Vestre frequencius frui possem.

Quod desiderium meum si ex voto suctedet, intellecta mente Illustrissime Dominacionis Vestre, non gravarer, imo libens facerem et venirem ad Illustrissimam Dominacionem Vestram et hisce de rebus conclusionem facerem.

Preterea Illustrissimam Dominacionem Vestram latare [z] nolo, quod quam primum hic servitor meus a Illustrissima Dominacione Vestra rediturus est, me proficisci Cracoviam versus ad Maiestatem Regiam in quibusdam negociis Magnifici Domini parentis mei.[1] Ideo si ibi existens aliquod servicium prestare Illustrissime Dominacioni Vestre possem, oro iubeat mandet, non secus quam uni ex servitoribus suis, nam animus meus ad obeunda servicia Illustrissime Dominacionis Vestre adeo propensus et paratus est, ut in hoc me a quoquam vinci non sinam. Quod Illustrissima Dominacio Vestra re ipsa magis quam verbis experiri dignabitur. Eam ob rem, ut eo celerius hunc servitorem meum Illustrissima Dominacio Vestra expedire velit, plurimum oro...

Datum Posnanie,[a] Augusti, anno Christi MDXXXI.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
Andreas de Gorka manu sua subscripsit.

*Schedula adiuncta:*

Illustrissime Princeps.

Non pretermisi eciam cum Magnifico Domino parente meo nomine Illustrissime Dominacionis Vestre conferre, quo Sua Magnificentia pro maiori posse suo eniteret,[z] ut Illustrissima Dominacio Vestra compos votum [z] suorum redderetur, hoc est negociorum illorum, que ex proxime preterita Piotrkoviensi Dieta ad alteram proxime futuram dilate [z] sunt etc.

Ut brevibus perstringam, Sua Magnificentia obtulit hilari vultu omnia se pro Illustrissima Dominacione Vestra facturum velle, tanquam integer servitor Illustrissime Dominacionis Vestre.

Utque autem eo commodius Sua Magnificentia Illustrissime Dominacioni Vestre in hoc gratificari et morem gerere posset, censerem, quatinus Illustrissima Dominacio Vestra posicionem rerum istarum Sue Magnificentie litteris suis describere vellet.

Commendo me *etc.*

a) *sequitur spatium vacuum.*
1) *Lucas a Górka.*
z) *sic in ms.*

*) *Cfr. N. sequentem.*

N. 265.

*Posnaniae, 12.VIII.1531.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*servitia et obsequia sua per tabellarium filii sui offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 266.

*Cracoviae, 13.VIII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras generi sui, Ioannis Tarnowski, ad regem [Sigismundum I] scriptas de successibus Polonorum in Moldavia et de districtu Pokucie recuperato.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 277.*
*(Annexum: exemplum litterarum Ioannis Tarnowski ad regem de 5.VIII.1531, iam ed.: A.T.XIII, 276)*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 267.

*Cracoviae, 16.VIII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio Lucae a Barthen, sibi commendatissimo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 268.

*Cracoviae, 24.VIII.1531.*

*Severinus Boner, zupparius Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nova de rebus Valachiae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

Illustrissime Princeps, *etc.*

Quamquam nihil in praesenciarum argumenti ad manum sit, quod iustam ad Illustrissimam Dominacionem Vestram scribendi causam mihi

det, tamen debiti officii mei parcium esse visum est, ne diuturniore silencio usus ab instituto meo degressus esse viderer, vel literarum saltim officio meam erga Illustrissimam Dominacionem Vestram observanciam, interim cum obsequiis meis usui eidem esse non licet, testari. Quarum summa est hec, quod Illustrissimam Dominacionem Vestram modis omnibus impendio, oro atque adeo obsecro, ut incomparabilis graciae suae liberalitate me, servitorem suum humilem, complectatur, et quod de uno omnium fido bonoque servitore suo, itidem de me sibi persuadeat. Equidem dum vivam, omnibus nervis contendam, ne illius de me expectacionem fallam. Iam vero pervelim Illustrissimae Dominacioni Vestrae de rebus novis quidpiam perscribere, cum in aula Principum egregium esset quitquam. Illud dubium mihi non est, quin Illustrissima Dominacio Vestra iam pridem compererit, Magnificum Dominum Campiductorem Regni [1] rem feliciter gessisse. Profectus enim cum mille equitibus, parte videlicet earum copiarum, quae paulo antea conscriptae sunt, plurifariam districtum illum, quem nostrates Latine Transilvanicum, Polonice Pokuczie appellitant, adortus invasit, ibi, pro Dei Optimi Maximi benignitate et Sacrae Maiestatis Regiae felicitate, simulac Magnifici Domini Campiductoris dexteritate, presidiorum collocatorum pars cesi, pars in fugam versi, pars eciam, nempe duodeviginti viri, sane, ut terrae illius et curiae Palatini Valachiae [2] condicio fert, nobiles, capti atque huc adducti sunt. Ita totus ille districtus atque arces, inter quas Gwoszdziecz firmissima est, in dicionem Maiestatis Sacrae Regiae redierunt. De Palatino fertur, quod exercitum ad quadraginta millia coegerit cogatque eciamnum amplius. Quid hic faciet, tempus indicabit. Nos certe Divinae Maiestati gracias agimus supplices ac eius benignitatem porro imploramus.

De rebus Ungariae, Germaniae atque Italiae, item Dominus Laski quid rerum agat, qui pacis inter Serenissimum Regem Ferdinandum et Imperatorem Thurcarum faciendae condiciones in manibus habet, Illustrissimae Dominacioni Vestrae abunde liquere sat scio, tamen quid ipse de hoc rerum genere habeo, Illustrissime Dominacioni Vestrae in praesente schedio descriptum mitto...

Datum Craccoviae, die 24 Augusti, anno 1531.

Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
[a] humillimus servitor
Severinus Boner subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *Ioannes Tarnowski.*

2) *Petrus Rareš.*

*N. 269.*

*Cracoviae, 28.VIII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Petro a Dohna, capitaneo in Morąg, ut certa privilegia super bona sua a duce obtineat, eadem, quae rex nobilibus Pruthenis concedit.*
*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 296.*
*H B A, B 2, K.355.*

N. 270.

*Cracoviae, 29.VIII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de victoria a Ioanne Tarnowski, genero suo, campiductore Regni, de Valachis ad rusculum Obertyn reportata.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 300.*

*(Annexum: exemplum litterarum Ottonis de Chodecz, palatini Sandomiriensis, ad Ch. Szydłowiecki de 28.VIII.1531, iam ed.: A.T.XIII, 291)*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 271.

*Cracoviae, 30.VIII.1531.*

*Nicolaus Szydłowiecki, castellanus Sandomiriensis et Regni thesaurarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de victoria exercitus Poloni, Ioanne Tarnowski duce, de Valachis reportata.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 302.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 272.

*Cracoviae, 30.VIII.1531.*

*Iacobus Brzozowski, aulicus regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro pecunia sibi a duce per Nicolaum Nibschitz tradita gratias agit.*

*Vest. sigilli.*

*(Germanice)*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 273.

*Cracoviae, 30.VIII.1531.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, regis iunioris curiae magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*servitia sua offert; de Valacho profligato ex litteris regis ducem melius edoctum iri nuntiat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 303.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 274.

*Cracoviae, 9.IX.1531.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro condolentiis ducis ob adversam valetudinem suam gratias agit; iam se reconvaluisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 275.

*Cracoviae, 13.IX.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Petro a Dohna, matrimonium cum filia Achatii Czema contracturo, ut certa privilegia, eadem, quae rex subditis suis in terris Prussiae concedere solet, super bona sua a duce consequi possit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 318.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 276.

*Cracoviae, 13.IX.1531.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro gratulationibus ob novae dignitatis accessionem gratias agit; Apologiam ducis sibi missam nondum se totam perlegisse significat, ideo censorem agere non posse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 319.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 277.

*Cracoviae, 14.IX.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de colloquio suo in negotio « fratrum Theutonicorum » cum Sigismundo ab Herberstein habito; de Apologia ducis sibi missa; de epistola Nicolai de Gerend, episcopi Transilvaniensis, et de periculo ex Turcis Transilvaniae impendenti, nisi omnia per regem Ioannem occupata regi Ferdinando restituantur; de legatione Valachorum ad Ioannem Tarnowski, post victoriam eius ad Obertyn reportatam, missa et de*

*aliis nuntiis ad Stanislaum Lanckoroński, palatinum Podoliae, missis; de negotio matrimoniali Sigismundi Augusti.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 324.*
*(Schedula adiuncta)*
*Sigill.*

*(Annexa: 1. legatio palatini Moldaviae ad Ioannem Tarnowski s.d.;*
*2. Responsum Ioannis Tarnowski ad legationem palatini Moldaviae de die 8.IX.1531, iam ed.: A.T.XIII, 317;*
*3. ex litteris Stanislai Lanckoroński, schedula s.d.;*
*4. legatio palatini Moldaviae ad Stanislaum Lanckoroński polonice, s.d.;*
*5. responsum palatini Moldaviae, fragmentum, polonice s.d.;*
*6. exemplum litterarum Stanislai Lanckoroński ad regem [Sigismundum I] de die 1.IX.1531;*
*7. orig. litterarum Caroli Kuczer ad Szydłowiecki de die 7.IX.1531; vest. sigill.;*
*8. exemplum litterarum regis Ferdinandi ad Sigismundum I de die 31.VII.1531, iam ed. in A.T.XIII, 269;*
*9. ex litteris Sigismundi ab Herberstein ad Szydłowiecki de die 12,IX.1531.)*

*(Annexum I iam ed. in A.T.XIII, 316, cum aliquot erroribus, hic publicamus.)*

*H B A, B 2, K.355.*

*Annexum I: Legatio palatini Moldaviae ad Ioannem Tarnowski:*

Legacio Waiwodae Moldaviae, quam Nuncius retulit.

Inprimis dicebat hanc terram Pokuczie fuisse Stephani Waywode Moldavie, quam eum usque ad mortem tenuisse dicebat.

Post mortem vero suam denuo fuisse per Reges Poloniae occupatam.

Bohdan [1] posthac Waywoda eam tanquam suam invaserat, tamdiuque tenuit, quousque pactis et promissis quibusdam, inter Regiam Maiestatem et Waywodam intervenientibus, ipsa terra denuo per ipsum Waywodam resignata est.

Cum autem Bohdan Waywoda pactis et promissis protunc temporis factis frustratus fuisset, eam ipse denuo tandem, ut suam, invasit.

Maiestas Regia misit ad Imperatorem Turcarum [2] Nuncium suum, conquerendo super ipsum Waywodam, quod terram ipsam occupasset.

Imperator Turcarum misit tres Nuncios, unum post alium, dans sibi in mandatis, ut de ipsa terra Maiestati Sue cederet.

Waywoda, cum est servitor Imperatoris et tributarius, terraque ipsa et omnia sua sunt Imperatoris, cum ex his tributum habeat, voluit obedire mandatis Cesaris terramque ipsam dimittere Nunciumque suum ad Maiestatem Suam mittere, ut terram actipiat.

Ne autem terra desolaretur vel destrueretur per malefactores, fures et predones, misit aliquam partem exercitus sui, ut terram tutarentur, ne destrueretur. Solus vero Waywoda fuit in terra inferiori, prestolans Oratorem Cesaris Turcarum, cum quo ad resignandum terram, ut eam in presencia sua resignaret, venire volebat.

Vos autem si scivistis vel non ea ipsa sic fieri, Waywode incertum est. Ac tamen, non expectata promissa terrae resignacione, exercitum colle-

gistis hominesque suos, qui in confinibus erant, profligastis multosque trucidastis, nonnullos vero captivastis.

Cum autem Palatinus ita effectum esse audivit, non expectato Nuncio Turcarum, gentes, quas ante se praemiserat, cum reliquo suo exercitu totam septimanam eundo dieique et nocti non parcendo, insequtus est, volens vobiscum congredi. Et quoniam equi et homines sui erant nimium fatigati, vosque bene exorantes Deum habuistis propicium, cessit vobis victoria, ita quod gentes suas trucidastis, nonnullos captivos fecistis, ingenia bellica accepistis.

Cum itaque ipsae machinae non sunt ipsius, sed Thurcarum Imperatoris, tum eciam et homines, quos captos tenetis.

Postulat Palatinus, ut ipsa tormenta bellica omnesque captivos restituatis. Que ubi restitueretis, vult iam non impetere, immo in toto cedere terrae Pokuczie perpetuamque pacem tenere ac observare. Sin vero id facere nolueritis, extunc ipse omnibus viribus suis recuperare ammissa contendet, nec ipsa terra vestra eciam, ubi vos pacem spreveritis, unquam pace potietur.

Optat eciam Dominus meus, ne gentes inter se mutuo perdatis sanguinemque christianum effundatis.

*In dorso alia manu:* Legacio Vayvode Moldavi ad Capitaneum Regni, Dominum Comitem a Tarnow. A.

Haec de provinciola Pokucie falso et sicophantice affirmat Vayvoda.

1) *Bogdan III filius Stephani.*

2) *Solimanus II.*

*Annexum III. (schedula): Ex litteris Stanislai Lanckoroński.*

Ex litteris Magnifici Stanislai Lanczkorunsky Palatini Podolie et Capitanei Camenecensis, die S. Mathei in Camyenyecz datis, Magnifico Domino Castellano Cracoviensi scriptis.

Scire dignetur Vestra Magnificentia advenisse huc hodierna die nuncium a Serenissimo Domino Ioanne Rege Hungarie, qui ad Sacram Maiestatem Regiam ex parte Palatini Moldavie pro induciis pacis eidem Palatino et ob concordiam ineundam proficiscitur, quam expedivi ad Dominum Campiductorem Regni.

*Annexum IV: Legatio palatini Moldaviae [Petri IV Rareš] ad Stanislaum Lanckoroński:*

Poselstwo, ktore ku mnie wskazal voyevoda Walasky [1] w thi slowa:

Aczkolwyek Hospodar Piotr Woyewoda wyachal bil w Pokucziie y dzyerzal ye, dzyszya na proszbe Czesarza Thureczkiego, a nye prze ynna przycziną, odstapuye go yusch ye puscza, a nyechay yda volno lyudzye a kaszdy w szwim sziedzy, a stare miry y stare zapiszii abi bili dzierzany z obu stron, a Hospodar choczecz ye moczno a thwerdo derzacz y przyslal do cziebye zadayancz abisz upokogyl ziemia podolska, abi bila w pokoyu [z] ziemya Walaską, a za iedno abi bila yako yedna ziemya wielkiey przyasny y sprawiedliwoszczy y w pokoyu tak, yako pierwey bila stara-dawna y tak yako zapiszano. A choczeschly thak derzaczy, Hospodar

choczecz, a yesly nye choczess Hospodar za nyewolyu muszi schie schilowaczi y licho dzialacz.

Pan Woyewoda postapil yako scham lyepiey wyess.

Czo szie doticze miru dawno zapisanego, ktori tu przypomynass od pana swego then mir y zapiszy y przyszyagy pan Woyewoda slamal na on czas, gdi wczyagnal w Pokuczye. A thak then myr y thy zapiszy yusz nye są zadney wagy any nycz wyaza. Bo yakobis ti przyszyaga zwyazany y w mocznyone tho wssistko pan woyewoda polamal. A tako ya nye wyem bąndzieli Krol Yego Miloscz raczil s panem Woyewoda wstapowacz w yakye nowe zapissi, gdi thich nye sdzierzal.

Podlye tich zapisow na ten czass nye chcze ya nycz dzierzecz, bo nye są zadney wagy any moczy, ponyewas ye pan Woyewoda zlamal. A ya nye wyem bandziely gye chczyal krol Yego Miloscz othnowycz albo meycz myedzy Swa Yasnosczya a panem Woyewoda. A wssakos gdi pan Woyewoda slie posla swego do Krolya Yego Mylosczi ya tez slye swego do Yego Milosczy. A czo my Krol Yego Miloscz raczy roszkazatz, yako szye na dalsse czasy s panem Woyewoda zachowacz mam tak bada dzyalal. Alye do tego czasu az moy poszel zgyeszdzy[a] do pyaczy nyedzyel przyswalyam abi bili ziemye w pokoyu podolska[b] z walaska, sprawyedlywosczy zawyesywssy w pokoyu na stroną maya bicz albo nye asz do nauki Krolya Yego Milosczy. A wssakoss ten pokoy nyema bicz daliey w moczy, yedno do wolyey a do nauky Krolya Yego Milosczy, iesli pan Woyewoda raczy tak dzyerzecz, nyechay my list swoy poslye, a ya mu tez swoy przyslyą.

b) *hic exp:* wza

b) *hic in ms. exp:* wza

1) *Valachia et Moldavia in documentis saepe confunduntur.*

*Annexum V: Responsum palatino Moldaviae Petro IV Rareš a Stanislao Lanckoroński datum:*

e[a]

Odpowyedz, ktoram wskazal Woyewodzye Walaskyemu.

Czo mi Pan Woyewoda wskazal yz Pokuczya odstapuye Krolowy Yego Milosczy, o thim mnye malo zaliezi s panem Woyewoda na then czas czo mowicz. Bo Krol Yego Myloscz podlye swey woliey bandzye tho przymowal yako bąndzye raczil wdziacznye albo nyewdzyecznye oth pana Woyewody.

A dis pan Woiewoda poczal walka s Krolyem Yego Mylosczya bez przyczyny y uczinyl nyemalu skode poddanim Yego Milosczy, gdzye Krol Yego Miloscz nyemale nakladi uczinil bronyacz ziemye panu Woyewodzye za sprawyedliwoscza swoya, ktora yego Krolewska Myloscz ma k tey ziemy y ktorey tesch sprawedliwosczy Pan Buog raczil[b] posczasczyc woyskom pana nassego ysch yey...

*Hic textus interrumpitur.*

a) *sic in ms.; in litteris Christophori Szydłowiecki tamen hoc scriptum littera D signatum est.*

b) *sequitur expunctum:* poczessicz

*Annexum VI: Litterae Stanislai Lanckoroński ad regem, 1.IX.1531:*

Serenissime Princeps *etc.*

Scire dignetur Vestra Sacra Maiestas Regia, quod post hunc foelicem

et famatum conflictum, quo Deus Omnipotens Vestram Sacram Maiestatem Regiam, Dominum mihi clementissimum, consolare dignatus est, ex non modica cura et vigilia Domini Campiductoris [1] Regni summaque audacia militum Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae ibidem existencium, quod videlicet Palatinus Moldaviae [2] est prostratus, uti lacius de his omnibus Dominus Campiductor Vestram Sacram Maiestatem Regiam fecit cerciorem.

Idem Palatinus admodum conabatur, quin post conflictum prefatum aliquam vindictam facere possit desertareque certas terras in dominiis Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae. Tamen animo suo non est potitus et ad id nequaquam pervenire potuit, ex eo, quod ei in his tam nobilitas, quam eciam et vulgus communis, nullo modo obedire volunt, et signanter Terra Inferior. Et ita minime exercitum iuxta intencionem suam congregare potuit, uti intendebat omnibus viribus suis ingredi et vastare dominia Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae. Quod cum efficere, exercitum videlicet congregare et obedienciam subditorum suorum habere non potuit, aliud ei in mentem venit.

Misit huc tres suos ad me Nuncios. Unum mittit ad Vestram Sacram Maiestatem Regiam, quem ad Dominum Palatinum Sandomiriensem [3] meo cum preductore remisi. Is, ut confido, ibidem retinetur usque ad informacionem Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae, si videlicet debet ad Vestram Sacram Maiestatem Regiam permiti,[z] an non. Ut autem ex alio Nuncio, qui ad me venit, accepi, quod idem prefatus Nuncius proficiscitur ad Vestram Sacram Maiestatem Regiam pro salvo conductu maioribus aliis Nunciis. Notificat quoque, quod prefatus Palatinus Moldaviae cessit Vestrae Sacrae Maiestati Regiae terram Pokucziie. Alium autem mittit ad Dominum Campiductorem Nuncium, quem eciam ad eius Magnificenciam remisi. Tercium misit ad me cum litteris creditivis, cum legacione, quam Vestra Sacra Maiestas Regia lacius accipiet ex cedula his inclusa, idiomate Polonico scripta, ubi et expedicio eiusdem Nuncii super legacionem prefatam continetur.

Ceterum, Serenissime Domine et Domine mihi Clementissime, misit hic Dominus Campiductor [a] in Camenecz, in Skalam et Czornokozyncze sexcentos equites. Quia vero habent equos defessos et admodum, cui non miror, in eis decesserunt in tantis curis et fidelibus serviciis Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae existentes, id unum, et ut homines frumenta securius e campis congregare in horrea potuissent, pre oculis habendo, suscepi inter has terras pacem cum Palatino Moldaviae ad decursum tantum quinque hebdomadarum et ad informacionem Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae, ut interea temporis equos educarent, ut, cum ingruerit necessitas et mandatum Vestrae Sacrae Maiestatis Regiae, haberent milites in quo servire Vestrae Sacrae Regiae Maiestati.

Rogo Vestram Sacram Maiestatem Regiam, quod si cum Palatino prefato pacem et concordiam inire non dignabitur, dignetur me Vestra Sacra Maiestas Regia informare, qualiter me contra eum ulterius gerere et conservare deberem.

Scire autem dignetur Vestra Sacra Maiestas Regia, quod quamvis idem Nuncius Palatinum retulit pronunc esse in Chrolow, tamen explorator meus mihi advenit, qui in eius exercitu erat. Is refert, quod iacet super littore fluvii Pruth circa curiam Hrinkovyczow, habens secum quinque milia hominum, et circa Schepyurcze posuit duo milia hominum. Locavit eciam in littore fluvii Dnyestr in certis locis ad quatuor milia

hominum, alibi per centum, ducentos, tricentos etc., ut custodirent littus propter incursiones a terra Podoliae faciendas... Datum in castro Cameniecz, sabbato post festum Sancti Egidii, anno Domini MDXXXI.

Eiusdem Vestrae Sacrae Regiae Maiestatis
Stanislaus Lanczkorunsky de Brzezye Palatinus Podoliae, servus humilis.

a) *in ms. correctum ex:* Campiductor Dominus
z) *sic in ms.*
1) *Ioannes Tarnowski.*
2) *Petrus Rareš.*
3) *Otto de Chodecz (Chodecki).*

*Annexum VII: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki, 7.IX. 1531:*

Dem erleichten grosmechtigen heren, heren Cristoff von Zidlovecz her und hauptman zu Kraka und des reich von Poln oberster kanzler etc. mein gnedigen heren.

Erleichter...

Item gnediger her, ich hab Eier Gnad briff enphangen, das Ir mir schreibt, wi das Gott hab sein gnad ferlyen ko. mt., das sein mt. krigsfolk hat den Balachen gischlagen. Gott sei gilobt, das doch einmol horet, das der cristenheit wol geet.

Item gnediger her, di schlacht, di for 4 wochen gescheen ist, do man di gifangen hat bracht gen Krakau, hab ich balt ko. mt. Fernando zugeschriben; ist diselbige zeit zu Lincz giwest und fil Sibenburger hat ko. mt. selbst dem Sibenburger di zeitung mit grossen freiden gisagt.

Item itzundt di zeitung von der schlacht, di itzundt gischeen ist, hab ich balt dem regoment anzayt. Haben ein grossen freudt gihabt und ich hab Eier Gnad briff loss ausschreibe, balt auf der post ko. mt. auf der post geschikt. Ich weiss, das ko. mt. grosse freudt wirt haben und alle seine reet.

Item ich solt Eier Gnaden nei zeitung schreiben, weis Eier Gnaden nichs gutz zu schreiben. Wirt man itzund auf dem reichstag nichs gutz ausrichten, so wirt di cristenhayt zu drümmern geen. Es ist noch in reich nye also ubel gistanden, als itzundt stet; nor Gott mus das wenden, wider kayser noch konig weren yren aygen willen, dem si in reichestetten haben, nicht konen wenden...

Geben zu Wien den 7. tag Septembri 1531.

Karl Koczer.

*Annexum VIII, exemplum litterarum regis Ferdinandi, iam ed. in A.T.XIII.269.*

*Annexum IX: Ex litteris Sigismundi ab Herberstein, ad Ch. Szydłowiecki 12.IX.153.*

Ex litteris Domini Sigismundi Herberstain die 12 Septembris.

Ubi autem Vestra Magnifica Dominacio meminit scripture ipsius Oczyeski, quas [z] post ipsius adventum ad Bisancium transmisit, indicando pacem perpetuam firmatam esse inter Serenissimum Regem meum

et Turcam, et Oratores mei Regis absolutos etc., quibus autem condicionibus, nihil memorans. Non possum satis mirari, quomodo sit possibile eum nescire condiciones, praesertim cum Dominus Iheronimus[z] Lasky illic sit, et quam plures iam dudum sparserint varias condiciones. Et multos animarunt ad suam partem, multos quoque terruerunt nostros. Nam hii vix celaverunt Nunctium Serenissimi Regis Poloniae etc. Utcunque, si nesciunt ,ego plurimum spei ex hoc capio. Ad hoc actedit, quoniam nos ante heri litteras receperimus nostros Oratores feliciter applicuisse. Quos indies hic expectamus. Scribunt enim, rebus bene peractis, cum bona et actepta relacione venturos. Particularia autem nondum habemus. Postquam autem habuero, non latebunt Vestram Magnificam Dominacionem.

Scribunt item illis occurisse trirenem[z] quandam. Quae certo significavit classem cesaream Coronam[1] ingressam et magnum damnum Turcis intulisse. Quae omnia quum particularius habuero, Vestrae Magnificae Dominacioni significabo.

*In dorso:* Nova ex litteris Domini Sigismundi Eberstein.

z) *sic in ms.*
1) *Coron in Peloponneso.*

*N. 278.*

*Cracoviae, 14.IX.1531.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*se Apologiam ducis propter alia negotia nondum legisse nuntiat.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T. XIII, 323.*
*H B A, B 2, K.355.*

*N. 279.*

*Poltoviae, 4.X.1531.*

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de causa Adami Radzymiński, ieiunia et sacramenta catholica contemnentis et profanantis; prolixe respondet ad singulas partes Apologiae a duce contra adversarios scriptae.*
*(Cum schedula. Adest alterum exempl. ac versio germanica).*

*Vest sigilli.*
*Iam ed.: A.T.XIII, 342.*
*H B A, B 2, K.355.*

N. 280.

*Cracoviae, 12.X.1531.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Apologiam ducis se legisse et perlegisse nuntiat suamque sententiam ea in re declarat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 351.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 281.

*Grodnae, 14.X.1531.*

*Proceres et consiliarii Magni Ducatus Lithuaniae*
*Alberto in Prussia duci*
*de finibus inter Magnum Ducatum et Ducatum Prussiae determinandis.*

*12 sigilla.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 354.*

*H B A, B 2, K.355.*

N. 282.

*Krebs, 31.X.1531.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*[Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi et Regni vicecancellario,]*
*de rerum statu in Germania: da Dieta Spirensi; de clade Ulrici Zwingli in Helvetia; de bello in Dania et Holandia.*

*(Exemplar)*

*H B A, B 2, K.355.*

Reverendissime in Christo Pater *etc.*

Paucis ea, quae hic habui nova, duxi Vestrae Reverendissimae Dominationi perscribere, ut et eorum, quia fiant, esset cercior, et meam in se propensionem hoc eciam parvo indicio Vestra Reverendissima Dominacio cognosceret.

Dieta Spirensis fuit nulla. Ad quam licet Serenissimus Romanorum Rex agendam advenisset, dum tamen nemo Principum adfuisset, dempto Palatino Rheni Electore,[1] qui ex Kolenberk Spiram duobus distabat miliaribus, ac Episcopo Spirensi,[2] eius Maiestas quoque discessit. Iamque ad hodiernam diem pervenit ad coniugem suam, quae in Isbrug est.

Unde Reverendissima Vestra Dominatio apud se perpendere potest, qua nunc facie sit Germania, cum in hac Dieta nihil boni sit constitutum.

Helvecii pugnarunt pro religione, victoria apud Romanos mansit. Lutherani Ducem Czwinglerium et bombardas magna suorum strage amiserunt, qui ad vindictam novas colligunt vires. Romani Helvecii auxilia a Caesare et Rege Ferdinando implorant, quibus praeter bona verba nihil conceditur. Nam si aliquis horum Principum praestiterit auxilia, statim liga verbi Domini insurgeret, et esset crudelissimum bellum per totam Germaniam. Ita Helvecii soli inter se litem finient, et erunt eorum malo aliis in exemplum.

Dieta alia Ratisbonam ad Epiphaniarum festum indicta est, quae eciam mea et multorum sentencia, Spirensi erit similis.

Rex Daciae Christiernus, collecta equitum et peditum manu et illa in Holandiam deducta, dum illic classem ad traiciendum habere non potuisset, insoluto insalutatoque milite discessit. Exercitus autem illam totam provinciam convertit in rapinam, quem Caesar ut pellere armis posset, conscribit exercitum. Principes autem Lutherani timent, ne aliquo stratagemate praevenirentur et ne Caesar, composicione facta cum illo Christierni exercitu, tenderet in illos, suntque in armis. Et sic tota Germania tumultuat. Ad rem Principis mei sunt bona et utilia haec praeludia, sed Reipublicae Christianae afferent procul dubio magnum detrimentum.

Modonum dicitur omnino esse captum, sed an sit nostris praesidiis munitum, incertum, ymmo dubium est.

Dominus Sigismundus ab Herberstein est hic mecum. Tractavi cum homine haec et illa pro concordia. Longe magis video inclinatos homines paci, quam antehac.

Relinquo ac remitto domum maiorem familiae partem. Nam ex Lincz postis utar primumque ad Serenissimum Romanorum Regem curram in Isbrug, et demum ad Caesaream Maiestatem. Profecto res multum est difficultata tanta horum Principum distancia, nec caret singulari admiracione hic apud omnes, cur tam repente Rex Ferdinandus se in Isbrug contulit. Ego autem non miror, quia dum Caesar longe ab Italia distet, alter frater ex alto et propinquo perspiciet Italiam, semper novis factionibus ferventem etc. Distent autem hii fratres quantumvis a se longe, ero brevi apud utrumque et agam omnia omni sollicitudine et, ut aiunt, usque ad sudorem.

Domini Sigismundi sentencia est, ut omnino absque multorum Oratorum coetu concordia sit Cracoviae, Principibus non longe ab illa distantibus etc.

Commendo cum his servicia mea Vestrae Reverendissimae Dominacioni illamque vehementer rogo, velit me et domum meam Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, diligencius commendare. Ex Crebs, ultima Octobris, 1531.

Eiusdem Vestrae Reverendissimae Paternitatis
Servitor Hieronymus de Lasko etc., manu propria.

Domino meo Illustri Cracoviensi Castellano, rogo, praesentes participare velit, ne Sua Dominatio crederet me sui fuisse oblitum.

1) *Ludovicus V.*

2) *Philippus de Flersheim.*

*N. 283.*

*s.l. 2.XI.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit novitates ex variis Europae regionibus.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 383.*

*(Annexa: 1) exemplum fragmenti litterarum S. Herberstein ad Ch. Szydłowiecki de 12.X.1531, iam ed.: A.T.XIII, 352;*

*2) exemplum litterarum Stanislai Lanckoroński ad Ch. Szydłowiecki de 22.X.1531, iam ed.: A.T.XIII, 370;*

*3) exemplum litterarum Antonii Fugger ad Ch. Szydłowiecki de 23.IX. 1531, iam ed.: A.T.XIII, 336;*

*4) exempla ternarum litterarum Caroli Kuczer ad Ch. Szydłowiecki de 20.IX., 2. et 20.X.1531, quae hic publicamus.)*

*H B A, B 2, K.355.*

*Annexum IV/1: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki de die 20.IX:*

Erleichter...

Item wi ich for Eier Gnaden geschriben hab, das di grossen herren und das ganze regamenth wider von purgerschafth, reych und arm gerne gesen haben und gehorth, das glugk und uberwintlikeith ko. mt. von Polen, meinem gnedigen hern, uber seinen feindt, den Walachen, das Goth sein gnad hath geben dem erleichten [a] grosmechtigen hern, hern grafen und obersten hauptman des landes und konigreichs von Polen, von Tarnau.

Item ich bin der erst gewest und meine brife sein di ersten gewest zu ro. ko. mt. Solche brife hath sein mt. entpfangen zu Stokarth im wittenbergischen lant, da grossen triump gehalden mith seinen ritterschafth und adel von der victoria ko. mt. von Polen, meinem gnedigen herren.

Item ich thu Eier Gnad zu wissen, das ein bothschaft herkomen isth von demselbigen Walachen von der Mülda und der selbige poth ist komen mith VI pferden und her heist Gregor Rosenberger. Ist ein burger von der schocz auf. Sagen, her sey ein grosser kaufman. Sy sagen, her hab fil zu handeln mith Fridrich Schmalcz von Posen. Dy urmemer, di Stezkovicz und ander kaufleit kennen in wol an zweifel. Her zeichth zu ko. mt. Fernando in reichstag. Ich hab mich erforsch, das sein geschefth nor [b] fon des Türkes wegen ist und her ist auch ausgezogen aus der Walachei for der schlachth, den her sageth: do ich ausgezogen, ist mein her, der Walach, ins felth gezogen.

Item ich hab gen hof geschriben in di kanzley; was her do wirth ausrichten, werd ich wissen und Eier Gnad zu wissen thün.

Item Eier Gnad wisth, das 2 hern aus Sibenburgen sein in den reichstag gezogen gen Speir und 2 her sein noch alhi zu Wien. Dy haben vor 2 tagen dato brif gehath aus Sibenburgen. Dy sagen, wy das her woywoda, her Lasko, sey krang worden in Sibenburgen und sere, und sagen, wi der her woiwoda ist schon abgefertigeth gewest von konig

Janusch. Her und der bischoff Anderikus hab sollen zihen in reichstag. So aber der her woiwoda nichth wider gesundth wirth, kan man nichth wissen, wer an seyner stel zihen wirth.

Item mir schreibeth mein diner von Venedigen, das sich der Turgk sere richth mith gewalth auf mere wider den konig fon Portugal in India kegen do im pass nemen und dy spezerey wider brengen auf Fenedien[z] zu.

Item gnediger her wist, was den reichstag antrifth, kan man noch nichtes wissen. Einer sageth, es wyrth was gutes ausgerichth werden, der ander sageth, es wirth nichts ausgerichth. Goth mus uns kristen beysten, sunst richten sy nichtes gucz aus, dan der eigen und loss willen, den sy oben im reich haben, mus nur Goth wenden. Geben zu Wien, den 20. tag Septembris 1531.

Karl Koczer, Ewer Gnod diner.

a) *praecedit expunctum:* erleychen
b) *praecedit expunctum:* no (?)
z) *sic in ms.*

*Annexum IV/2: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki de die 2.X (Orig. Vest. sigill.):*

Erleichter grosmechtiger her *etc.*

Item gnediger her wist, wi die sag ist giwest, das der reichstag hat sollen sein auf den 16. tag Septembri. So hoer ich sagen, das der kayser krank ist worden. Sunder ist besser um in worden und soll erst sein den 16. tag Octobri. Etlich sagen, er sol noch zu Nurbergk sein.

Item gnediger her wist, es ist ein her aus Payerlantt, hayst Caspar Winczer und ist der do si konig Jenusch lys kronen. So yst der selbig Caspar Winczer also balt zu konig Janusch zogen und hat wellen sein hauptman sein. Eier Gnad hat wol fon in gihort.

Item derselbig Caspar Winczer zyt izundt wol mit z...[a] knechten hinein zu konig Janusch in Sibenburgen[a] und hat giwalt von fyl fursten und von den kayser und den konig, zu handl mit konig Jenusch; was es ist, waiss ich nicht.

Item gnediger her, heit dato ist mein diner von Venedig komen und sagt, das di Venediger fil folk aufnemen an landen uberall, di pauern mustern und haben uber 2 tausent Deiczer knecht aufginomen, di sy haimlich[b] an Belisch lant komen seyn. Es kan nimant wissen, wiwol si sagen, das si si forchten for den kayser.

Item gnediger her wist, das der Perin Petter ist in Welisch lant zogen, wol mit 40 ross; meinem diner ist er auf dem wegk bigegenet nicht weit von Venedig. Sy sagen, er zy gen Rom und Loretta. Ander di legen es anderst auss.

Domit befil ich mich Eier Gnaden als mein gnedigen heren. Geben zu Wien den 2. tag Octobris 1531.

Karl Koczer.

Dem erleichten und grosmechtigen heren, heren Cristoff von Zydlovecz, her und haptman zu Krakau, ko. mt. von Poln oberster kanczler etc., mein gnedigen heren.

a) *charta lacerata.*
b) *lectio ob maculam incerta.*

*Annexum IV/3: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki de die 20.X.1531:*

Erleichter...

Item gnediger her, ich solth Eyer Gnaden ney zeitung schreiben. So ist nichtes gruntlichs vorhanden. Einer schreibet, der reichstag sold einen forgang haben, der ander saget, es wer nichtes nicht doraus.

Item es sein auch zeitung, wi der kaiser und konig von Frankreich beieinander sein solden, und etlich sagen, das dem konig vom Frankreich sein mt. mütter[1] mit tode solt abgangen sein und das selbig solt es geirt haben, das sy nicht zusamen sein komen.

Item Eier Gnad wist, das zeitung herkomen sein, wi das des keisers haüptman Andre de Dorio und dy ritter Rodiani haben ein fornemen gehabt mith etlichen burgern von Modon[2] und sein komen dy ritter von Rodis mit 10 schiffen in dy porten Modon, alles kaufleit, und der Andre de Dorio ist im mer gelegen mith 32 galea und guth folk darauf. Und also sein dy ritter Rodyani in di stat gefallen und dem Andre de Dorio ein zeichen geben; der ist inen zu hilf komen und also dy stat eingenomen, alle dy Turken erschlagen.

Item sy sagen, das in Zecilia sein gewesen bys in 6 tausent Spanioler und der babst hat auch 6 galea zu hilf geschikt. Sein alle komen kegen Modon und sy vormeinen, man werd dasselbig lendlein, Morea genanth, alles einnemen.

Item es sein aber etlich Venedier kaufleyt, dy sagen, man hab nor Modon geplunderth und alles erwürgt und nicht beseczt, aber man schreibeth es von Genüa und auch dy Deiczen von Venedig; und sy schreiben, das zu Venedig das treyd ser aufschlecht von des selbygen wegen, und sy sagen, das kein festere port im mer nicht sey als Modon, und es leith dem keyser wol aus Naplys und Zezilia. Eyer Gnad mag es wol wissen. Sy sagen auch, das dy Venediger nicht gern sehen.

Item es schreibet mir einer von hof,[a] das dorauf stee, das ein konzilliüm sol zu Wien sein, nor von der Ungern wegen.

Item man ist alhi, warteth des hern weywoden Laski,[3] und der her Sigmundth von Herberstein sol mith im zihen hinauf zu dem konig...

Geben zu Wien am. 20. Octobrii im XXXI.

Karl Koczer.

*Schedula adiuncta:*

Erleichter...

Ich hab Eier Gnad geschriben for 2 tagen dato und do noch nichts gruntlichs gewist.

Item Eyer Gnad wist, das mir itzünd brif sein von hof komen, das ko. mt. Fernando ist von Speir gen Isprugk gezogen, dan der reichstag ist vorlegt hin auf Trium Regum gen Regenspurg. Do wirt keis. mt. selbst sein... Geben zu Wien, den 22. Octobrii 1531.

Karl Koczer.

a) *praecedit expunctum:* hoff (?)

1) *Ludovica Sabauda.*

2) *Modon in Peloponneso.*

3) *Hieronymus, pal. Siradiensis.*

*N. 284.*

*Cracoviae, 16.XI.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de legatione Schleinitz non obstantibus linguarum difficultatibus expedita refert; pro gratulationibus genero suo, Ioanni Tarnowski, ob victoriam ad Obertyn reportatam transmissis, gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 388.*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 285.*

*Cracoviae, 16.XI.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de legatione Schleinitz confidenter manu propria scribit; item de Ioanne Tarnowski.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 389.*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 286.*

*Cracoviae, 16.XI.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio limitum inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae; de triumphali reditu Ioannis Tarnowski post victoriam de Valachis reportatam; de Apologia ducis se in litteris regis scripsisse nuntiat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 390.*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 287*

*Cracoviae, 17.XI.1531.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro gratulationibus ob victoriam de Valachis reportatam gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 391.*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 288.*

*Brańsk, 23.XI.1531.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis et Magni Ducatus Lithuaniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio limitum regundorum.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 396.*

*H B A, B 2, K.355.*

*N. 289.*

*Drobnin, 1.XII.1531.*

*Paulus Kryski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro subdito suo, a capitaneo Dzialdoviensi in vincula coniecto, intercedit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.355.*

Preclarissime[a] Princeps *etc.*

Gravi in querela coram eadem Vestra Preclaritate depono contra et adversus Generosum Dominum Melchiar[z] Rachemberk, Capittaneum Dzyaldowiensem. Quia dum subditus meus ad forum liberum nundinarum equitaverat in Dzyaldow de bonis meis Zeluny, illum ibidem in Dzyaldow detinuit et in turrim absque quavis culpa et nullo iure vincto[z] intrudi mandavit. Quem de turri mittere liberum noluit, usque obstrictum caucionibus fideiussoriis ab ipsoque quinquaginta marcas Prutenicales recepit, et ad plurimas meas et mei subditi postulaciones restituere noluit et hucusque restituere minime curat allegatque premissas quinquaginta marcas in deposito pretorii apud Consules Dzyaldowienses fore depositas.

Quare ego humillime Vestram Preclarissimam Dominacionem exoro, tanquam Dominum meum clementissimum et iusticie sancte summum ac dignissimum ministratorem, dignetur michi et subdito meo cum prefato Domino Capittaneo suo speciali precepto iusticiam ministrare et receptam

peccuniam, tanquam innocenti, restituere et pro iniuriis et damnis satisfacere. Quod ego Vestre Preclarissime Dominacioni humilimis meis serviciis inservire, quoad vivam, studebo... Datum ex Drobnyn, feria sexta in crastino festi Sancti Andree Apostoli, anno Natalis Cristi 1531.

Vestre Preclarissime Dominacionis
obsequentissimus
Paulus Crysky heres in Drobnyno.

a) *in ms.* Plecarissime
z) *sic in ms.*

*N. 290.*

*Żarnowiec, 11.XII.1531.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras transmissas regi [Sigismundo I] se porrigi fecisse significat; quid responsum sit, ex litteris regis ducem cogniturum.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIII, 401.*

*H B A, B 2, K.355.*

# 1532

N. 291.

Cracoviae, 3.I.1532.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*causam Gregorii de Gay, tenutarii Obornicensis, commendat, quae per appellationem ad tribunal ducis devoluta est.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 7 (sub data 4.I.1532).*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 292.

Cracoviae, 27.I.1532.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*quendam Ioachimum commendat, qui in aulam suam cum iuvene Kościelecki venit, nunc autem in servitium ducis reverti cupit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 31.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 293.

Cracoviae, 29.I.1532.

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis et reginae Poloniae curiae magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*de suo erga ducem propensissimo animo nuntiat; reliqua abundius ex oratoribus suis ducem intellecturum.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 35.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 294.

*Cracoviae, 30.I.1532.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*tardiorem nuntiorum ducis absolutionem gravibus urgentibusque Regni negotiis excusat; rogat, ut dux negativum responsum in negotio eligendi regis boni consulat, nam aliter salvis Reipublicae iuribus fieri non potuit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 43.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 295.

*Cracoviae, 31.I.1532.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro favore et benevolentia sibi exhibita, necnon pro munere per oratores misso gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 44.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 296.

*Cracoviae, 31.I.1532.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de dolore suo propter filii [Christophori] periculosam aegritudinem et ob negotium limitum parum feliciter absolutum nuntiat; promittit duci servire ut « alter Nipczyc ».*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 45.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 297.

Cracoviae, 6.II.1532.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ob amicitiam suam cum Achatio Czema, castellano Gedanensi, Petrum a Dohna commendat, qui eiusdem Achatii filiam uxorem est ducturus; quid ipse apud regem [Sigismundum I] in negotiis egerit, ex eodem Czema dux intelliget.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 62.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 298.

Cracoviae, 7.II.1532.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Petro a Dohna intercedit, ut ei dux privilegia super certa bona concedere velit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 63.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 299.

Szkłów, 12.III.1532.

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis et Magni Ducatus Lithuaniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mercatorem Gedanensem Iacobum Kampe (in ms. Camp), a duce sibi commendatum, se adiuturum pollicetur; refert de negotio limitum inter Ducatum Prussiae et Magnum Ducatum Lithuaniae definiendorum.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 131.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 300.*

*Cracoviae, 26.III.1532.*

*Severinus Boner, capitaneus Oświęcimensis et Zatoriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de litteris ducis 14.III. datis a se acceptis; de 4000 aureorum a Nicolao Nibschitz, a se adiuto, perceptis; de morte thesaurarii Regni [Nicolai Szydłowiecki] et de castellanatu Sandomiriensi in Petrum Kmita collato; de capitaneatibus Oświęcimensi et Zatoriensi sibi a rege [Sigismundo I] concessis; de arce Czerkasy a Tartaris obsessa et de eisdem Tartaris profligatis; de adventu nuntii cum litteris ab imperatore [Carolo V] et a legato pontificio [Laurentio Campeggio].*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 160.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 301.*

*s.l., 27.III.1532.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis, vaivoda Transilvaniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*in militiam suam equestrem conscribere cupiens Fridericum ab Heideck, Theodoricum a Schlieben et Petrum a Thun, rogat, ut dux id permittere velit; offert vicissim servitia sua in causa proscriptionis et contra expulsum regem Daniae Christianum [II] et Henricum ducem Brunsvicensem, Germaniae et Prussiae pericula minantes.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 162.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 302*

*Ex Nova Civitate Korczyn, 2.IV.1532.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte filiae suae [Dorotheae], fratris [Nicolai] et unici filii Christophori; mittit nova de obsidione arcis regiae Czerkasy et de Tartaris a praefecto eiusdem arcis Eustachio [Daszkiewicz] profligatis; de Moldavo modos quaerente, quibus cladem ad Obertyn acceptam ulcisci possit; de Turca Germaniam adoriri cogitante; Stanislaum Wolski, adolescentem, ex servitio ducis dimittendum petit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 165.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 303.*

*Cracoviae, 20.V.1532.*

*Severinus Boner, castellanus Zarnoviensis, capitaneus Oświęcimensis et Zatoriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro gratulationibus gratias agit; castellanatu Zarnoviensi et capitaneatibus Oświęcimensi et Zatoriensi se a rege [Sigismundo I] ornatum esse nuntiat; de nuntii ducis, Georgii a Kunheim, Cracoviam adventu; de morte uxoris suae, cuius funere absoluto se Kunheim visitasse refert.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 243.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 304.*

*Płock, 27.V.1532.*

*Felix Śrzeński, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ob dissidia inter nobiles Iacobum Bartnicki, subditum ducis, et Ioannem Gumowski, subditum [Sigismundi I] regis, dolet, qui contempta auctoritate regia et officio suo capitaneali, inter se certant; se rem regi denunciaturum esse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 247.*

*H B A, B 2, K.356.*

*N. 305.*

*Cracoviae, 1.VI.1532.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia et servitia offert.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 252.*

*H B A, B 2, K.356.*

## N. 306.

*Cracoviae, 6.VI.1532.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro consolationibus post mortem suorum (filiae, filii et fratris) gratias agit; de Georgio a Kunheim a rege [Sigismundo I] secrete audito et de secreto responso illi dato; Stanislaum Wolski adolescentem, pronepotem suum, remittendum petit; de Turcis expeditionem in Germaniam parantibus; de expectato adventu oratoris Turcici, fortassis in negotio Moldavico missi.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 259.*

*H B A, B 2, K.356.*

## N. 307.

*Cracoviae, 8.VI.1532.*

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro novis sibi missis gratias agit, paratissima obsequia sua defert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.356.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Summas gratiarum actiones ago et habeo Illustrissime Dominationi Vestre pro hac tanta in me gratia, quod eadem mihi per servitorem ac nunctium suum, que aliis Dominis primariis, Sacrae Regiae Maiestatis Consiliariis, nunctiare dignata est. Unde agnosco, quod Illustrissima Dominatio Vestra mihi confidit et sua me dignatur gratia, cuius ego sicientissimus, eo agnito cupio vehementer hoc agere, facere, curare et pro mea facultate adniti, ita ac si unus ex servitoribus Illustrissime Dominationis Vestre continuus, ut omnia ad bonum et votum Illustrissime Dominationis Vestre cedant. Utinamque opella mea Vestre Illustrissime Dominationi alicui usui fuerit, equidem id magne mee felicitatis loco duxerim. Atque hoc ita esse sibi dignetur Illustrissima Dominatio Vestra persuadere, suppliciter rogo. Nam alioqui ego nunquam aliud, quam per omnia morem geram et obsequar, pro virili mea, Illustrissime Dominationi Vestre. Quod eciam studium meum et ad parendum iussis Illustrissime Dominationis Vestre affectum, petivi eundem servitorem Vestre Illustrissime Dominationis, amicum meum singularem, ut Illustrissime Dominationi Vestre, uti Domino meo colendissimo, referret, et facturum nihil ambigo... Datum Cracovie, sabbato post Octavas Corporis Christi, anno Domini MDXXXII.

[a] Illustrissime Dominationis Vestre
servitor obsequentissimus
Andreas Comes in Thanczyn, Palatinus Cracoviensis
manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 308.*

*Cracoviae, 10.VI.1532.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*se omni opera sua oratori ducis [Georgio a Kunheim] adfuisse nuntiat, sed regis [Sigismundi I] urgentia negotia et minus prosperam valetudinem tardiorem eius absolutionem causavisse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 274.*
*H B A, B 2, K.356.*

## *N. 309.*

*Narzym, 17.VI.1532.*

*Iacobus Bartnicki, heres in Międzybórz et Narzym,*
*Alberto in Prussia duci*
*conqueritur de Ioanne Gumowski, subdito regio.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.356.*

## *N. 310.*

*Kezmark, 29.VI. 1532.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis una cum aliis rebus se accepisse significat; imperatorem Turcarum [Solimanum II] 14.VI. Belgradi fuisse; regem Ioannem Pesth ingressum esse 22.VI. et dietam indixisse; duos equos duci mittit; de victoria suis de hostibus reportata deque damnis utrinque acceptis refert; ciphras mittit, globos ignitos petit.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 307.*

*H B A, B 2, K.356.*

## *N. 311.*

*Cracoviae, 13.VII.1532.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Philippi Melanchthonis Apologia sibi missa, iam pridem a se lecta, gratias agit; ob novas in Germania indies nascentes haereses et tantam in rebus religionis opinionum diversitatem dolet et asserit in hac rerum perturbatione docto nauclero opus esse; libellum polonice scriptum, sibi a duce ante annum missum, per incendium domus suae consumptum esse significat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 337 (sub data 12.VII.1532).*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 312.

*Cracoviae, 25.VII.1532.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ad principes et ordines Germaniae de revocando banno contra ducem promulgato diligenti opera sua missas esse et responsa iam pervenisse; fragmentum ex epistola Dantisci transmittit de eo, quid hac in re in Comitiis Ratisbonensibus actum fuerit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 355.*

*(Annexum: fragmentum ex epistola Ioannis Dantisci 7.VII.1532 Ratisbonae data, iam ed.: A.T.XIV, 323)*
*H B A, B 2, K.356.*

N. 313.

*Ex Nova Civitate Korczyn, 11.VIII.1532.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis sibi per Nicolaum Nibschitz allatas esse refert, cui se, ab aula regia absentem, adesse non potuisse nuntiat; secretariis suis, Paulo Krassowski et Paulo Płotowski, se mandasse, ut huic negotio operam darent; equum fratri ducis, marchioni Georgio, posterius se missurum; multis iam equis recens dono datis, duci tamen recusare se non posse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 387.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 314.

*Posnaniae, 7.IX.1532.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio Christophori Langner sibi a duce commendato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 315.

*Posnaniae, 7.IX.1532.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis, capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris et novitatibus sibi missis gratias agit, de quibus cum Christophoro Szydłowiecki et aliis proceribus, amicis suis, se locuturum nuntiat; obsequia et servitia offert.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 316.

*Posnaniae, 10.IX.1532.*

*Andreas a Górka*
*Alberto in Prussia duci*
*se servitori ducis cum litteris misso, per Posnaniam praetereunti, omnem opem exhibuisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 317.

*Kezmark, 14.IX.1532.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*post Turcarum in Austriam ingressum nihil esse innovatum scribit; imperatorem Turcarum [Solimanum II] castra prope Novam Civitatem (Wiener Neustadt) posuisse; imperatorem Carolum V certamen cum illo committere debere; refert de Strigonio obsesso et iam fere fracto; commutationem 150 vasorum vini pro pulveribus tormentariis duci proponit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 430.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 318.

Cracoviae, 21.IX.1532.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotium de sponsalibus inter Carolum ducem Münsterbergensem et Annam ducem Masoviae se promovisse significat; refert de legatorum ducis Münsterbergensis rebus infectis ex Livonia reditu; de sparso rumore eos in Prussia retentos esse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 434.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 319.

Posnaniae, 22.IX.1532

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per servitorem ducis, ex Germania redeuntem, novitates ex Vienna mittit; de imperatore Turcarum [Solimano II] Budam versus moturo.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 436.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 320.

Cracoviae, 16.X.1532.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro salutationibus et pro exemplo litterarum regis Ferdinandi ad ducem gratias agit; mittit vicissim exemplum litterarum Sigismundi ab Herberstein cum novitatibus de Turcis in Austria et Hungaria.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 466.*

*(Annexum: exemplum litterarum Sigismundi ab Herberstein de die 5.X.1532, iam ed.: A.T.XIV, 461, ex orig. in Bibliotheca Czartoryski)*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 321.

*Poltoviae, 2.XI.1532.*

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit novitates de exercitibus Turcarum et christianorum, qui, nullo utrinque maioris momenti proelio commisso, gloriantur victoriis non reportatis et falsos celebrant triumphos; de imperatore [Carolo V], quem omnes «redempturum Israel» speraverant, cum Hispanis et Italis Mediolanum profecto et inde in Hispaniam profecturo; de cometis apparentibus, magna mala ominari solentibus.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 492.*

*H B A, B 2, K.356.*

N. 322.

*Cracoviae, 12.XII.1532.*

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro falconibus gratias agit; de meliori valetudine sua refert; in Germania et Hungaria nihil novi evenire nuntiat; oratorem regium [Petrum Opaliński] ad Turcarum imperatorem missum nondum rediisse; mittit exemplum litterarum imperatoris Turcarum [Solimani II], ad regem [Sigismundum I] de successibus Turcarum in Austria et Hungaria.*

*Schedula adiuncta:*

Sunt hic apud Sacram Maiestatem Regiam Oratores Mosci, qui nihil aliud egerunt, nisi questi sunt de iniuriis et damnis, quibus subditi Moscovitae a Dominis Lituanis affici deberent. Super his quaerimoniis Maiestas Regia paulum deliberata, respondebit illis. Hodie comederunt cum Maiestate Regia et regaliter tractati.

Exemplum litterarum Cesaris Turcarum, rogo, Illustrissima Dominatio Vestra velit penes se retinere. Non libenter viderem, ut e sinu meo in vulgus exiret. Nam post divum Regem Ludovicum, ex Serenissimo Domino Romanorum, Hungariae et Boemiae Rege habeo clementissimum Dominum, itaque illas criminaciones in illius Maiestatem et divum Carolum Cesarem, fratrem Maiestatis Suae, eructatas dolentissimo fero animo.

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XIV, 537.*

*H B A, B 2, K.356.*

# 1533

N. 323.

Cracoviae, 2.I.1533.

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte soceri sui, Christophori Szydłowiecki, ducem certiorem facit servitiaque sua defert.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 4.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 324.

Cracoviae, 4.I.1533.

*Casparus Maciejowski, dapifer Sandomiriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de castellanatu Cracoviensi post mortem castellani [Christophori Szydłowiecki] Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, conferendo.*
*(Scriptum ex parte destructum)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Tanta est apud me authoritas Illustrissime Dominationis Vestre, ut non solum id parum, quod ego possum, sed etiam nullum, quod aliis posse a Deo datum esse video, libenter in offitium illius collocarem, si modo tantum adesset mihi ea in re facultatis, quantum animi et voluntatis insitum vel plane innatum agnosco. Verum utcunque est parum facultatis, id tamen, quicquid est, hoc tempore cum morte sublatum Magnificum Dominum Castellanum Cracoviensem, officiosissimum servitorem Illustrissime Dominationis Vestre, agnovi, in conciliando et ad demortui locum subrogando Magnifico Domino Tarnowski, Palatino Russiae, contuli. Egi enim pro mea fide et diligentia apud Magnificenciam Suam, ut inter cetera, que cum hereditate post mortem defuncti Illustris Domini Castellani sunt ad se devoluta, illud etiam offitium et observantiam, qua Illustrissime Dominationi Vestre defunctus erat astrictus et

obligatus, amplectatur, et veluti per... [a] inem in se assumat, sitque in omnibus negotiis et act[ionibus]... tam fidus et bonus servitor, quam ille, qu[i]... fecto Magnificencia Sua grato exce... pore et admodum voluntatem... et servitute sua affuturam. Tametsi... assiduum in aula Sacrae Regiae M[aiestatis]... etiam, sub absentia sua diligentia... mendare possit, dummodo illi quid... ego ita, ut scribo, feci, non ut aliquid, ut aiunt... sed ut serio mecum affectum et diligentem, fidem servitutem[que] meam Illustrissime Dominationi Vestre commendem... Datum Cracoviae, feria sexta ante festum Epiphaniae, anno Domini MDXXXIII.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
servus Casper Maczieiowsky.

a) *foramen in charta.*

*N. 325.*

*Petricoviae, 18.I.1533.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Sigismundum Kotwicz (Cothfficz) in negotio restituendorum quorundam bonorum commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 326.*

*Cracoviae, 4.II.1533.*

*Sophia de Targowisko Szydłowiecka*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia, sibi post mortem mariti a duce exhibita, gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 52.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 327.*

*Sandomiriae, s.d.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte castellani Cracoviensis* [*Christophori Szydłowiecki*]; *de honoribus propter odia, quibus se multi prosequuntur, nihil se plus ambire refert, sed ducis adhortationibus obtemperando se ad utrumque regem scripsisse adiungit, petentis habitum assumendo.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 155.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 328.

Petricoviae, 7.II.1533.

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de exitu legationis ex ipsis legatis suis ducem latius edoctum iri; mittit exemplum litterarum Cornelii Scepper ad regem Poloniae [Sigismundum I], ex quibus dux cognoscere poterit, quomodo pontifex Romanus hereditatem Ecclesiae tractet; de exercituum Regni capitaneo, Ioanne Tarnowski, minus gratia reginae nunc gaudente; de indignatione multorum ex regimine reginae Bonae.*

*(Germanice)*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XV, 61.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 329.

Petricoviae, 7.II.1533.

*Ioannes Tęczyński, castellanus et capitaneus Lublinensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis 23.I. datas se accepisse nuntiat, ex quibus intellexit de moliminibus magistri Livoniae [Valteri a Plettenberg] contra Gulielmum marchionem Brandenburgensem et contra Ducatum Prussiae; servitia sua in equitibus conducendis offert; reliqua aulicum regium Iacobum Brzozowski relaturum esse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 62.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 330.

Petricoviae, 8.II.1533.

*Nicolaus Działyński, castellanus Culmensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de litteris gratias agit, ex quibus cognovit, in quantis difficultatibus versatur Gulielmus marchio Brandenburgensis, coadiutor Rigensis et electus episcopus Osiliensis; qua in re servitia sua offert.*

*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*Iam ed.: A.T.XV, 64.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 331.

Petricoviae, 8.II.1533.

*Andreas Tęczyński, castellanus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*oratori ducis, in certis negotiis misso, coram rege [Sigismundo I] et in Senatu opera sua pro posse se adfuisse refert; servitorem ducis et suum, Felicem ab Allen (Alden), commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 66.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 332.

Petricoviae, 10.II.1533.

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*Felicem ab Allen (Alten) commendat.*

*Vest. sigilli.*

*Iam ed.: A.T.XV, 72.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 333.

Petricoviae, 11.II.1533.

*Lucas et Andreas a Górka, castellani Posnaniensis et Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ex litteris a duce acceptis cognovisse se scribunt de electione Gulielmi marchionis Brandenburgensis, ducis fratris, in episcopatum Osiliensem et de machinationibus magistri Livoniae [Valteri a Plettenberg], quae bellum provocare possint; paratos se esse nuntiant ad operam suam in conscribendis equitibus levis armaturae duci praestandam.*

*2 sigilla.*

*Iam ed.: A.T.XV, 74.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 334.

Petricoviae, 12.II.1533.

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris gratias agit, mox longiores litteras scripturus.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 335.*

*Petricoviae, 12.II.1533.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*in causa appellationum ad regem [Sigismundum I] a iudiciis et decretis ducis oratoribus eiusdem iam responsum esse significat; in negotio Gulielmi marchionis, coadiutoris Rigensis, ducis fratris, oratorem a rege missum iri ad Ordinis Theutonicorum magistrum in Livonia [Valterum a Plettenberg].*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Perspexi ex literis Illustrissime Dominationis Vestre ad me datis, quam contra mentem illius fiat, quod Sacra Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, et appellationes ad se a iudiciis et decretis Illustrissime Dominationis Vestre interponi permittat, et subditorum illius securitatem publice fidei literis tueatur. Quae omnia cum ab Illustrissimae Dominationis Vestrae Oratoribus copiose sunt in praesentia Maiestatis Regie et coram eius Regni Ordinibus exposita, ad illaque vicissim ex tocius Senatus consilio et assensu responsum fuerit Oratoribus Illustrissime Dominationis Vestre datum, non arbitror expedire, ut hiis de rebus ultra id, quod in responso continetur, aliud a me scribatur. Hoc saltem, quod ad officium meum pertinere arbitror, ab Illustrissima Dominatione Vestra impense rogo, ut collatis privilegiis immunitatis suae cum iuribus superioritatis Maiestatis Regie, expensaque et recte considerata sententia capitulorum in transactione descriptorum, ita se pro sua excellenti virtute et singulari prudentia erga Maiestatem Suam gerere velit, sicut amor et necessitudo, quae illi cum Maiestate Sua mutuo intercedit, postulare videntur.

In negocio Illustrissimi Domini Vilhelmi Coadiutoris in Ecclesia Archiepiscopali Rigensi, fratris Illustrissime Dominationis Vestre, designatus est per Maiestatem Regiam Orator Dominus Nicolaus Dzialinski, qui, omni mora procul, ad Dominum Magistrum Ordinis Sancte Marie Theutonicorum in Livoniam cum eiusmodi mandatis et instructione proficiscetur, quorum sentenciam Illustrissima Dominatio Vestra in literis, quas ad Maiestatem Regiam scripsit, explicavit.

De reliquis, que hic acta sunt, Oratores Illustrissime Dominationis Vestre illam certiorem facient... Datum Piotrcovie, die XII Februarii, anno Domini MDXXXIII, Regni nostri anno XXVII.[z]

[a] Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre servitor
Petrus Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 336.*

*Sidra, 20.II.1533.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de moliminibus magistri Livoniae [Valteri a Plettenberg] contra Gulielmum marchionem Brandenburgensem, episcopum Osiliensem; de commissariis ad definiendos fines componendasque limitum controversias designandis; se sine permissu regis [Sigismundi I] Livoniam adoriri non posse, pace perpetua inter Lithuaniam et Livoniam inita.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 83.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 337.*

*Cracoviae, 18.IV.1533.*

*Ioannes Tęczyński, castellanus et capitaneus Lublinensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*servitia sua commendat; in aula regia nihil novi occurrisse scribit; oratorem Petrum Opaliński ex Turcia iam rediisse, induciis cum Turcis ad vitam regis Poloniae [Sigismundi I] eiusque filii ex una, sultani Turcarum [Solimani II] eiusque filii ex altera parte duraturis initis; eodem die venisse oratorem palatini Multanorum [Vlad Vintila] petentis, ut rex Poloniae ipsum in filium suscipiat.*

*Sigill. Adest versio germ. Cfr. N. 340.*

*Iam ed.: A.T.XV, 210.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 338.*

*Cracoviae, 20.IV.1533.*

*Casparus Maciejowski, dapifer Sandomiriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*excusationes ducis et gratiarum actiones pro litteris a se acceptis supervacaneas esse scribit; de Ioanne Tarnowski ita rem se habere, ut ipse antea scripserat.*
*(Germanice)*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XV, 214.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 339.*

*Sandomiriae, 25.IV.1533.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*se quidem cum demortuo socero suo [Christophoro Szydłowiecki] comparari non posse, sed nihilominus omni conatu suo duci servire paratum se declarat.*

*Sigill. Adest versio germ. Cfr. N. 340.*

*Iam ed.: A.T.XV, 230.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 340.*

*Konińska Wola, 28.IV.1533.*

*Andreas Tęczyński, castellanus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se prope Lublinum ad componendas fratrum differentias commorantem, litteras ducis 24.III. datas accepisse significat; notariolis suis carentem, stylum suum minus elegantem excusat; pro opera sua, ducis oratoribus in Comitiis Petricoviensibus praestita, supervacaneas esse ducis gratiarum actiones; sententiam suam declarat de pacto fraternitatis inter ducem et Ioannem Tarnowski contrahendo.*

*Sigill. Adest versio germ. (In eodem folio adsunt versiones N.N. 337 et 339).*

*Iam ed.: A.T.XV, 234.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 341.*

*Płock, 30.V.1533.*

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro nobili Gulielmo [Cassau] iniuste, ut is narrat, inculpato, intercedit; litteras securitatis petit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 342.

*Posnaniae, 19.VI.1533.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris per dapiferum ducis, Antonium Borcke, traditis gratias agit et gaudet Ioannem Tarnowski servitia sua duci obtulisse; de negotio marchionis Gulielmi in Livonia; de auxiliis a dominis Polonis et a se ipso duci in causa Livonica promissis; de negotio matrimoniali ducis Masoviae Annae.*
*(Germanice)*
*Sine sigillo. Autogr.*
*Schedula adiuncta de rebus Masoviae.*
*Iam ed.: A.T.XV, 319.*
*H B A, B 2, K.357.*

N. 343.

*Posnaniae, 20.VI.1533.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de induciis inter Turcas et regem Romanorum [Ferdinandum I] ac imperatorem [Carolum V], ut fertur, initis.*
*Sigill.*
*Schedula adiuncta in causa Georgii de Wedel.*
*Iam ed.: A.T.XV, 322.*
*H B A, B 2, K.357.*

N. 344.

*Posnaniae, 21.VI.1533.*

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*duci optanti, ut vicecancellariatum ambiat, respondet se ad id munus obeundum non satis idoneum esse: de homine quodam ab itinere instituto prohibendo; de negotio Antonii Borcke a duce sibi commendato.*
*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Litterae ille, quas superioribus diebus Illustrissima Dominacio Vestra ad me dederat, multo mihi iucundissime fuerunt, nam ex illis, nec sine summo gaudio meo, percepi de sanitate ac prosperis successibus Illustrissimae Dominacionis Vestrae.

Quod vero Illustrissima Dominacio Vestra, pro sua in me gracia,

tam graciose et propense mihi favet, ut status meus indies magis augeatur, indeque adeo vicecancellariatum mihi obtingi optat, agnosco ego, ut semper alias, ita et hoc loco summam Illustrissimae Dominacionis Vestrae erga me graciam. Cum autem mihi satis superque constat viri boni officium non esse, ut provinciam aut munus aliquod ambiat, ita me instituere sum conatus, ut animus meus ab officiorum quorumvis ac dignitatum [a] appetencia semper abhorreret, presertim cum sciam me omnino ad huiusmodi munera obeunda non satis idoneum nec aptum esse. Pro tanta vero Illustrissimae Dominacionis Vestrae in me propensione cum aliud hoc tempore prestare non possum, ago et habeo Illustrissimae Dominacioni Vestrae gracias quam maximas demeriturumque me per omnem occasionem offero.

Preterea meminit Illustrissima Dominacio Vestra, ut homo ille in itinere suo proposito destitueatur prohibeaturque etc. etc. Scire dignetur Illustrissima Dominacio Vestra me non minori studio ac sedula opera post discessum servitoris Illustrissimae Dominacionis Vestrae enixum fuisse, atque eo presente feci, ut eidem hac in re omnibus modis inservirem, eoque pacto rem ordinaveram, ut, si ille sese huc contulisset, forsitan institutum iter prosecutus non fuisset. Verum ipse postea huc non comparuit, ac littere ille, que ante [b] adventum ipsius huc transmisse fuerant, ad eosdem, a quibus [c] misse [d] fuerant, rursus [e] remisse sunt. Sin vero aliquando huc comparuerit, providebo, ne ille voti sui compos efficiatur.

Negocium Antonii Bork, quod mihi Illustrissima Dominacio Vestra diligentissime commendare dignata est, pro posse meo iuvi, sed quibus ex causis res non cessit ex voto eorum, ipse solus referet.

Novarum rerum nihil hoc tempore ocurrit, quod ad Illustrissimam Dominacionem Vestram scribere deberem. His rumoribus, qui[f] quasi ab incertis autoribus sparguntur, nolo illius aures obstrepere...

Datum Posnaniae, 21 Iunii, anno Domini MDXXXIII.

Illustrissimae Dominacionis Vestrae servitor
Andreas Comes a Gorka etc. manu sua subscripsit.

a) *in ms.* dignitatuum
b) ante *supra lineam scriptum.*
c) *sequitur expunctum:* allat(e)
d) *correctum ex:* transmisse
e) *in margine.*
f) *in ms.* que

*N. 345.*

*Posnaniae, 5.VII.1533.*

*Lucas et Andreas a Górka, castellani Posnaniensis et Calissiensis, Alberto in Prussia duci*
*omnes controversias inter Regnum et Ducatum Prussiae transactione Cracoviensi (a. 1525 facta) componendas esse putant, cuius capitula cum ab episcopo Cracoviensi sibi transmissa erunt, consilio se suo duci adfuturos promittunt.*

*2 sigilla.*
*(Schedula adiuncta).*
*Iam ed.: A.T.XV, 343.*
*H B A, B 2, K.357.*

*N. 346.*

*Narzym, 29.VIII.1533.*

*Iacobus Bartnicki, heres in Międzybórz [Neidenburg] et Narzym,*
*Alberto in Prussia duci*
*contra Ioannem Gumowski conqueritur, qui in piscina sua piscando magna illi damna infert.*

*(Germanice)*

*(Cum schedula latine scripta de eadem re).*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 347.*

*Vilnae, 1.IX.1533.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis per Nicolaum Nibschitz sibi redditas esse; ducissam uxorem ducis [Dorotheam] ita reginae Bonae esse commendatam, ut sua commendatione minime egeat; negotia ducis Felici [ab Allen] commissa in aula regia ex sententia expedita esse arbitratur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 348.*

*Vilnae, 10.IX.1533.*

*Georgius Siemionowicz dux Slucensis*
*Alberto in Prussia duci*
*equum a duce postulatum se quidem non habere scribit, sed aliunde procuratum duci eum missurum; regem [Sigismundum I] bene valere et venationibus delectari nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 349.*

*Szczepankowo, 1.X.1533.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*salvum conductum petit pro Gulielmo Cassa, ut in Prussiam ire et innocentiam suam demonstrare possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 350.*

*Bruxellis, 11.X.1533.*

*Stanislaus Tęczyński*
*Alberto in Prussia duci*
*se servitorem ducis Fridericum Nussdorfer (Nussthorfer) in Belgio nactum esse eique consilio et auxilio adfuisse nuntiat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Nolo latere Vestram Illustrissimam Dominacionem me nonnullam peregrinacionem per gentes accepisse, ubi iam Regis Romanorum aulam et multorum Principum Serenissimeque Regine Marie[1] vidi, aliorumque Dominorum cristianorum aulas et terras dominiaque, si Deus admiserit, sum eius intencionis et desiderii eas videndi.

Hic existens in aula huius Regine, inveni servitorem Vestre Illustrissime Dominacionis, Fridericum Nussthorfer, quem ego bene apud Vestram Illustrissimam Dominacionem existens in aula vidi. Ille veniens ad me, suas angustias mihi narravit. Ego autem, ut consuetus sum Vestre Illustrissime Dominacionis semper perpetuus servitor esse, his omnibus operibus, in quantum potui, illi consilio et auxilio adfui, ne negocia Vestre Illustrissime Dominacionis tam longe negligerentur. Ac tamen nihil hic penitus in Brusella profuimus.

Ac tamen ego ei litteras dedi ac[z] bonos amicos in Amberbiam,[z] ubi credo illum sui desiderii compotem. Insuper vidi omnino illum in negocio Vestre Illustrissime Dominacionis esse diligentem, sed in his partibus raro talis reperitur amicus, qui non certo commodo daret pecunias. Commisi prefato Friderico nonnulla cum Vestra Illustrissima Dominacione, de quibus audivi in aula Regis Ferdinandi, tractanda. Cui indubiam Vestra Illustrissima Dominacio fidem adhibeat. Insuper ex hinc me in Angliam, deinde in Galliam dedam. Comendo me tandem semper perpetuum servitorem Vestre Illustrissime Dominacionis... Ex Brusellis, undecima die Octobris, anno 1533.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
perpetuus servitor
Stanislaus Thanczynsky manu propria subscripsit.

z) *sic in ms.*    1) *Maria regina Hungariae.*

*N. 351.*

*Vilnae, 12.X.1533.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, magister curiae regis Poloniae iunioris,*
*Alberto in Prussia duci*
*Polonos bis a Tartaris profligatos esse significat; nuntium palatini Moldaviae [Petri Rareš] indies expectari, de pace tractaturum.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 494.*

*H B A, B 2, K.357.*

## N. 352.

*Vilnae, 12.X.1533.*

*Georgius Radziwiłł, castellanus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia sua servitiaque commendat.*

*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.357.*

## N. 353.

*Obryte, 13.X.1533.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de loco, a quo controversi limites definiendi erunt.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XV, 496.*
*H B A, B 2, K.357.*

## N. 354.

*Janowe Miasto, 31.X.1533.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis, et alii*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio armorum per palatinum olim Masoviae a Ioanne (Hanus) Platner,[1] ducis subdito, receptorum et, ut idem Platner asserit, nondum solutorum.*

*4 Sigilla et vest. quinti.*
*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Questus est nobis Hanus Platner, Vestrae Illustrissimae Dominationis subditus et servitor, quod non sint sibi soluta certa arma, per Magnificum olim Dominum Palatinum Masoviae[2] recepta, ob idque filium eius citatum et coram nobis comparentem accusavit. Qui respondit se et patrem suum semper fuisse paratum solvere, si quid residui debiti illi tenerentur, si ipse arma data ad reformandum et poliendum ipsi Platner dupli et tripli valoris, et fere in depositum concredita, restitueret. Id, quod ipse Platner est fassus sibi per eundem Dominum Palatinum eiusmodi arma fuisse data et credita, ac ei per Vestram Illustrissimam Dominationem fuisse recepta, et forte eo nomine, quod per Maiestatem Regiam essent donata. Verum ipse filius Palatini probat prius patri suo ea arma per olim Duces Masoviae donata esse et sua fuisse propria.

Proinde nos non potuimus in eo negocio aliter intelligere, quam ut vel filio dicti Domini Palatini depositum eius restituatur, et debitum, si

quod tenebitur, solvet, vel iam Vestra Illustrissima Dominatio ipsum Platner contentet, tanqum armorum Palatini possessor... Ex Janowemyasto, feria sexta vigilia omnium Sanctorum, anno a Servatore nato millesimo quingentesimo tricesimo tertio.

Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitores et Commissarii regii
Petrus, Dei gratia Episcopus Camenecensis
Felix Srenski Palatinus Plocensis
Adrianus Golinski Castellanus Czirnensis
Petrus Kopitowski Castellanus Varschoviensis
et Capitaneus Vishegradensis.

1) *forsitan nomen professionis.*

2) *Laurentius Prażmowski.*

*N. 355.*

*Bartniki, 2.XI.1533.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Ioanni Apel, iuris utriusque doctori, ducis in Prussia cancellario,*
*Albertum Lipski, nobilem Polonum, ducis in Prussia subditum, certa bona in Ducatu assecutum, commendat.*

*Sigill.*

*(Annexum est exemplar epistolae similis tenoris, aliquem nobilem Polonum commendantis, sine subscriptione auctoris)*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 356.*

*Bartniki, 2.XI.1533.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro sororibus Catharina, Barbara et Hedvige Brzózka.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 357.*

*Vilnae, 4.XI.1533.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, magister curiae regis Poloniae iunioris,*
*Alberto in Prussia duci*
*transmittit nova, ab Hieronymo Łaski Constantinopoli sibi missa; per Lubrański se egisse de servitore ducis transfugo; de nuntio Valachi indies expectato, de pace tractaturo; ex Moscovia item venturum praecursorem nuntium de pace acturum; de chano Tartarorum, qui*

*cladem magnam Moscovitis inferens, hoc modo regi Poloniae in auxilium venit.*

*Iam ed.: A.T.XV, 527.*

*(Annexum: exemplum litterarum Ioannis Łaski ad Opaliński cum novis, solum ex parte ed.: A.T.XV, 493, quod hic in toto publicamus)*

*H B A, B 2, K.357.*

*Annexum: Ioannes Łaski Petro Opaliński:*

Magnifice Domine *etc.*

[a] Hiis paucis diebus a Domino fratre Siradiensi Pallatino ternas habui literas, primas Constantinopoli XIIII Augusti, alteras Adrianopoli die Martis post Nativitatis Mariae, postremas XXIIII Septembris Quinqueecclesiis datas, quibus in summa pacem inter istos Principes, Cesarem Turcarum et Ferdinandum Regem, confectam esse scribit. Cui Oratores Regis Ferdinandi iureiurando assensere et nomine sui Principis ratham et gratam firmiter tenere spoponderunt. Nichilque iam restare, quam ut de racione sartiendorum sumptuum deque dote Mariae [1] transigatur, idque per Dominum Gritti, si fieri possit, sin minus, ut id fiat per Serenissimum Poloniae Regem nostrum, cui Turcus et decidenda moderandaque omnia permisit. Scribit preterea se res cum publicas, tum privatas, ex sui animi sentencia perfecisse, neque unquam et tam acteptum illic et honorificencius absolutum esse. Cuius huc adventum in tribus hebdomadibus expecto. Nova autem, quae habentur ex hoc fragmento, quod illi mitto, Vestra Magnificencia omnia facile intelliget. Quam et feliciter valere cupio. Cracoviae, XII Octobris, anno Domini 1533.

Vestrae Magnificienciae addictissimus
Ioannes de Lasco.[b]

Nova hic hec sunt. Andreas Doria cum XXX triremibus et aliis undecem magnis navibus ex Messena Siciliae solvit, daturus opem illis, qui in Coron obsidione per Turcas premuntur, qui nulla re quam fame et inedia expugnari possunt. Tanta enim est illius loci fortitudo, preterea obsessorum virtus, ut nec machinis aut cuniculis ausi fuerint Turce [c] eorum menia demolire, timentes, si ceptum opus non pro voto succederet, dedecus et etiam capitis penam. Itaque cinxerunt Coronum terra et mari. In mari sunt LXIIII triremes, in terra 16 millia Turcarum. Tamen, ut dixi, oculis et famae [z] conantur recuperare illud. Nichilominus una triremis Andreae Doria cum aliis duobus fustis paucos ante dies Coronum ingressa incolumis et egressa est, non obstantibus illis Turcarum galeis, ad custodiendum portum deputatis. Hinc classis apparatur, et ultra hec vela, quae hic cesarea sunt parata, actepte sunt omnium mercatorum naves, tam Venetorum quam aliorum, in quas milles [z] imponitur, etc. Domini etiam Gubernatoris frater Georgius quattuor galeas et unam fustam armavit hic impendio Turce.

Persarum Regi Imperator iste bellum indixit, quod ille se expectaturum alacri animo et militari facie respondit, scireque se dixit plures Turcam habiturum homines, se autem dicturum plures viros. Huius belli est causa quidam Princeps, supra Tigrim per Turcas ex suo dominio pulsus, restitutus preterita estate, dum Cesar esset in Germania, per Persam etc. Nunc autem in favorem Turce Fessel Bassa, quem nos

magnum Tartarorum Chan vocamus, forti manu Bactra, dominium Perse, est ingressus, fratrem suum obsidione cinxit. Cui Rex frater ivit cum exercitu in auxilium, hicque de prelio novum horatim expectatur.

Pestis hic extrema furia magnaque strage bachatur, iamque hic sunt decem octo millia hominum numerati mortui ante sex dies. Hisce[d] vero sex diebus raro minus quam mille numerantur. Imperator cum suo Aladonorum choro in campo sub tentoriis deliciatur.

Filius Imperatoris, qui iam liber in Natolia suam curiam ducit, pessimo est animo, quod pater ita gubernio Ibreim Basse ducatur, quod tante pro unionibus exponantur peccuniae. Namque mortuus sibi fuit magister stabuli, in cuius locum pater miserat unum ex suis servitoribus. Quem, dum venisset filius, expulit et ad patrem scripsit Domino cuilibet opus esse servitoribus, ex nutu Domini pendentibus, iam illud officium merito et bono contulisse viro nolleque habere Ibraiomos,[z] qui eum gubernarent. Rogate, ut Sua Maiestas esset hac de re contenta.

Confluunt ad eum primi et pociores milites, per Ibreim Bassam stipendiis neglecti. Acteptat omnes, quotquot veniunt. Mea est opinio[e] Ibreim Bassam suasisse hoc contra Zophi bellum, ut solus exercitum Aziae haberet in manu, timet enim sibi multum a filio. Nam Zophi miserat huc Oratores, ut hanc differenciam pro arbitrio Cesaris composuissent, sed consilio Basse non fuerant auditi. Quae res maioribus aliis Turcis multum est molesta. Ibreim autem Bassa solum contra Zophi iturum aparet. De quo Persarum Rex, iuvenis fortisque et ore omni audacissimus miles, curiose apophtegmatur etc. Hec nunc sunt, sed ad futuram estatem multo erunt peiora etc. et caveat sibi Sicilia ex Galate amenissimis vineis.

a)-b) *hoc fragmentum iam ed. :A.T.XV, 493.*
c) *sequitur verbum expunctum.*
d) *in ms.* Hiso
e) *sequuntur expunctae litterae:* Ibra
z) *sic in ms.*
1) *Maria reg. Hung., soror Caroli V.*

*N. 358.*

*Vilnae, 13.XI.1533.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis, cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*ducis Ioannis Połubieński filium, Michaelem, commendat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.357.*

*N. 359.*

*Vilnae, 19.XI.1533.*

*Iacobus Brzozowicz, aulicus regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*servitia sua offert.*

*Vest. sigilli.*

*(Germanice)*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 360.

*Vilnae, 20.XI.1533.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis, cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro munere sibi misso gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 361.

*Vilnae, 22.XI.1533.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro piscibus sibi missis gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 362.

*Vilnae, 22.XI.1533.*

*Ioannes [e ducibus Lithuaniae], episcopus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro carpionibus gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

N. 363.

*Sandomiriae, 29.XI.1533.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae, exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio bonorum a se [in Ducatu Prussiae] acquirendorum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.357.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Dominacio Vestra adeo propicium et clementem sese mihi ac plenis, quod aiunt, manibus gratiam offerentem exhibet Principem, est quod Illustrissimae Dominacioni Vestrae immortales agam et habeam gratias, eiusque hoc erga me studium, quo illi animi sunt res meae, suspicio et exosculor. Est verum, fateor, commisisse me Domino Nicolao Nipczicz, regio aulico, amico meo peculiari, ut ea in re cum Illustrissima Dominacione Vestra mussitaret quiddam, quippe qui anim-

adverterem maiore ex fructu et commoditate mea futurum, si non in Polonia tantum, verum et ibi apud extrarios possessionum aliquid conqueram[z] et teneam. Quod si gratia et favore Illustrissimae Dominacionis Vestrae effici poterit, quid aliud Illustrissimae Dominacioni Vestrae quam me ipsum polliceor, qui iam olim sum in eius mancipiis. Quod si etiam non consequar, nihil minus me Illustrissimae Dominacioni Vestrae adscriptissimum esse ubique et semper profitebor, opperiens sedulo occasionem, qua reponendis tam amplissimis eius erga me gratiis sufficere possem.

Oneribus autem tot ex me dependentibus universam pecuniam, quae est nunc prae manibus, mercandis bonis effundere non possum, quae gloribus[a] elocandis asservanda et retinenda est, ob idque pecuniae ita grandem statuere summam nequeo. Millia decem aut duodecem suppeterent, quibus si ista bona ad eam aestimacionem adeo parvae summae emptum obtigi[z] possunt, rogo Illustrissimam Dominacionem Vestram, dignetur in hoc gratiosam et favorabilem opem et operam prestare, ut illa, si fieri poterit, nanciscar, iterum atque iterum... Datum Sandomiriae, pridie festi Sancti Andreae Apostoli, anno Domini MDXXXIII.

[b] Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
deditissimus servitor
Ioannes Comes in Tarnow etc. subscripsit.[c]

a) *in ms.* glotibus
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

### *N. 364.*

*Constantinopoli, 17.XII.1533.*

*Andreas Tęczyński, castellanus Cracoviensis,*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi et vicecancellario,*
*de Ibrahim Bassae cum magna exercitus parte in Persiam profectione; de novis incursionibus et occupationibus a Turcis cogitatis.*

*(Exemplar. Hoc scriptum probabiliter inclusum erat litteris episcopi Tomicki ad ducem Albertum missis, quae nunc in Archivo non reperiuntur)*

*Iam ed.: A.T.XV, 593 (ex ex. in Bibliotheca Nationali Varsaviensi conservato)*
*H B A, B 2, K.357.*

### *N. 365.*

*Constantinopoli, 21.XII.1533.*

*Andreas Tęczyński, castellanus Cracoviensis,*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi et vicecancellario,*
*de missione sua in Turcia refert; narrat varia nova de rebus Turcicis etc.; de pacis instaurandae in Hungaria conditionibus etc.*

*(Exemplar. Haec epistola, similiter ac praecedens, in eodem folio descripta, probabiliter acclusa erat litteris episcopi Tomicki ad ducem Albertum)*

*Iam ed.: A.T.XV, 595 (ex ex. in Bibliotheca Nationali Varsaviensi conservato)*
*H B A, B 2, K.357.*

*N. 366.*

*Vilnae, 27.XII.1533.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, curiae regis iunioris magister, Alberto in Prussia duci*

*pro novis sibi missis gratias agit; mortem ducis Moscoviae [Basilii III Ioannidis] nuntiat; refert de incursione Tartarorum Casanensium in Moscoviam et de non parvis damnis ab illis ibi illatis.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XV, 601.*

*H B A, B 2, K.357.*

# 1534

*N. 367.*

*Vilnae, 7.I.1534.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, curiae regis iunioris magister, Alberto in Prussia duci*
*confirmat rumorem de obitu ducis Moscoviae [Basilii III Ioannidis]; refert proceres Moscovitas de Ducatu inter se dissidere.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 13.*

*(Annexum: exemplum litterarum regis Galliae [Francisci I] ad ducem Mediolani [Franciscum II Sforza] s.d., quod hic publicamus)*

*H B A, B 2, K.358.*

*Annexum: Franciscus I rex Galliae Francisco II Sforza duci Mediolani:*

Exemplar literarum Regis Christianissimi ad Illustrem Dominum, Dominum Ducem Mediolanensem.

Mi Affinis.

Intellexi, ut his diebus praeteritis praeter omnes formas veteres iuris bonorumque morum, quos una cum aliis Principibus servare solebatis, caput incidere fecistis Svider Meraglia [1] Oratori meo apud vos agenti. Id, quod adeo et tam graviter mihi displicet ob grandem excessum ac iniuriam, quibus hac in re me affecistis, ut nil supra possit. Iccirco rem huiusmodi memoria servabo sempiterna, quousque tam fuerit mihi satisfactum, quam deceat. Miseram equidem illum ad vos ita et talem, qui hactenus mihi fuerat agnitus et compertus adeo honeste in actionibus et probitatibus suis, ut difficile sit mihi persuadere eum unquam facturum fuisse facinus, quo ultimum supplicium tale meritus esset. Et si etiam talis extitisset, ut id perpetrasset, propter quod penam eam pateretur, scire debetis vos nullo pacto committere debuisse rem tam grandem et animum inducere, et iubere effici exequutionem illam absque scientia mea mihique praemittere processum suum atque ad hoc expectare responsionem meam. Ea fuisset ita iusta et legitima, ut iusta de causa contenti essetis. Haec quidem fuisset et vera et iuridica via, quae cunctis tem-

poribus vetustis in causa huiusmodi servata est. Et quoniam eius penae, qua ille affectus est, precipua iniuria, quae inde oboritur, illata mihi est, quam nulla re humana, ut decretum habeo, toleraturus sum, ego vos facio certiores hoc necessarium esse, quod vos ex debito vestro constituatis illam referre adeo et in tantum, [a] ultra quod mihi fuerit satisfactum.[b] quantum ius et ratio ipsa exposcere videtur. Et si huic rei non provideritis, ego vobis significo per media omnia et omnes rationes ac formas, per quas valeo vobis predicere, quod ipse procedam adversus vos et auxilio divino efficiam vos cognoscere, quod imprudentissime et pessime, absque ulla culpa mea, affecistis me iniuria nimis magna, qua et pariter doleo, et scripsi singulis Principibus christianis, amicis mihi colligatis et omni federe coniunctis, ut illis, quibus expedit id efficere, cum simus inter nos omnes unanimes, ita ut cognoscant et percipiant, quod, si ego moveor et afficior hac tali iniuria et excessu, causa est, ut in vos agam utque intelligatis et cognoscatis mihi esse optimam et iuridicam causam.

a)-b) *in margine.*

1) *Ioannes Albertus Maraviglia, armiger (scudiero) regis Galliae.*

*N. 368*

*Vilnae, 9.I.1534.*

*Georgius Radziwiłł, castellanus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*duce ita desiderante, scripsisse se ad sororinam suam, ducem Masoviae, in rebus ducis; refert de certa morte ducis Moscoviae [Basilii III Ioannidis].*

*Vest. sigilli.*
*(Schedula agglutinata)*

*Iam ed.: A.T.XVI, 17.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 369.*

*Vilnae, 10.I.1534.*

*Martinus Zborowski, pincerna regis Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*regem iam certe edoctum esse significat de obitu ducis Moscoviae [Basilii III Ioannidis] deque filio eius minorenni [Ioanne IV] successore a patre destinato.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 18.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 370.*

*Vilnae, 10.I.1534.*

*Ioannes [e ducibus Lithuaniae], episcopus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris gratias agit; mandata ducis per Nicolaum Nibschitz sibi tradita libenter se regi [Sigismundo I] detulisse nuntiat officiaque sua parata apud regem offert.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 19.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 371*

*Vilnae, 13.I.1534.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se cum aliis senatoribus ad definiendos fines cum Livonia designatum esse nuntiat, ob pestem tamen saevientem negotium hoc a magistro Livoniae [Valtero a Plettenberg] in aliud tempus esse dilatum; scribit etiam de morte ducis Moscoviae [Basilii III Ioannidis].*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 36.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 372.*

*Petricoviae, 25.I.1534.*

*Praelati, proceres, barones et omnes consiliarii Regni Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*in Comitiis Petricoviensibus congregati, pro Sigismundo Kotwicz intercedunt.*

*10 sigilla.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 373.*

*Petricoviae, 25.I.1534.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis una cum incluso exemplo mandati, a novo magistro Ordinis Theutonicorum [Valtero a Cronberg] contra ducem a Camera Imperiali impetrati, se accepisse significat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 64.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 374.

*Vilnae, 3.III.1534.*

*Georgius Radziwiłł, castellanus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro amicitia sibi exhibita et declarata gratias agit; ad ducem Masoviae, neptem suam, secretarium regium, Ioannem Biliński, missum esse nuntiat, qui cum redierit, se ducem ea de re certiorem facturum promittit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 150.*

*H B A, B 2, K.358*

N. 375.

*Vilnae, 7.III.1534.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, curiae regis iunioris magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*in causa cuiusdam villae Nicolao Nibschitz se esse adfuturum pollicetur, pueros autem duos, a duce sibi commendatos, una cum rege iuniore [Sigismundo Augusto] litteris operam dare non posse nuntiat, nam studenti regi iuniori ne unus quidem adesse possit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 156.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 376.

*Posnaniae, 10.III.1534.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Heyno Debricz, capitaneo in Driesen, conqueritur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex institutione mea, qua sum ab ineunte aetate imbutus, hoc in me comparatum est, Illustrissime Princeps, ut ego clarissimam Brandemburgensium Principum Domum, et in ea Illustrissimam Vestram Dominationem, singulari semper honore et animi propensione observem, utpote a quibus multa luculenta beneficia me percepisse fateri libenter soleo, et Illustrissime Vestrae Dominationis gratiam non meis

meritis, sed eius gratuita donatione multis argumentis me conciliasse mihi perspexi. Cuius fiducia volui ei necessitatem meam referre, in qua sola Illustrissimae Vestrae Dominationis auctoritas mihi magno usui esse poterit.

Habeo meis hereditariis Vielenensibus bonis vicinum Capitaneum in Dresen, Heyno Debricz, qui cum inicio praefecturae suae pacifice se in vicinia gessisset, hoc anno lapso transcensis antiquis Regni et Marchiae limitibus, in meam hereditatem illapsus, prata mihi et non parvam hereditatis porcionem adimere conatur, preter antecessorum suorum morem, qui nunquam cogitarunt meam illam possessionem impedire, et de qua nulla unquam controversia est habita. Nam pratum, quod inferius versus Dresnam est, fuit ante suam praefecturam controversum, de quo ita ego secum viciniae iure conveni, ut alternatis vicibus eo prato uteremur. Quod cum pacifice observatum esset, tandem ille pratum meum proprium, quod intra stagni mei deserti alveum est, quod iam post pratum controversum in Regnum Poloniae supra protenditur, vendicare ita cepit, ut usum in eo facere cepisset, ademptur us mihi, ni ego Regni et meam veram possesionem tutandam suscepissem. Quod me et pro debito et pro iure facere debere Illustrissima Vestra Dominatio iudicare poterit.

Ad hoc Illustrissimo Principi Domino meo, Domino Marchioni Electori,[1] conatus est litteris suis persuadere id, quod meum est, Illustrissimae Suae Dominationis dicioni deberi. Ego contra apud Illustrissimam Suam Dominationem et litteris et Nunctiis egi, ut dignaretur suum Capitaneum continere, ut ille sineret me meam hereditatem integram possidere, quam esse meam exhibui me probaturum. Et quamvis Illustrissima Sua Dominatio satis gratiose mihi responderit, tamen quantum intelligere potui, conatur ipse Capitaneus ita Illustrissimae Suae Dominationi persuadere, ut difficiliorem Illustrissimam Suam Dominationem in ea re mihi facere posset.

Quia vero didici Capitaneum illum Heyno Debricz in numero servitorum Illustrissimae Vestrae Dominationis censeri, rogo pro auctoritate sua, quam ipsam par est venerari et agnoscere, pro suoque in me favore, admonere illum dignetur scriptis suis, ut ab hac vendicatione meae hereditatis ille sese contineat et pocius curet, quo pacto diu retentam in ea vicinia pacem conservet, quam eam inutiles serendo mecum controversias dissipare pergat.

Ego enim, quia didici hunc esse Illustrissimae Vestrae Dominationis servitorem, velimque omnes eius, etiam minimos, benevolencia prosequi, invitus secum eam controversiam habeo. Sed cum me officium meum Regni fines, ius vero proprium suam hereditatem vendicare cogant, tandiu resistere par est, quam diu eripitur proprium. Spero tamen eum ad Illustrissimae Vestrae Dominationis scripta moderatius eam contentionem curaturum... Ex Posnania, feria tercia post Oculi, MDXXXIIII.

Eiusdem Illustrissimae Vestrae Dominationis
Lucas Comes in Gorca, Castellanus Posnaniensis
et Maioris Poloniae Generalis Capitaneus.

1) *Ioachimus I.*

## N. 377.

*Vilnae, 12.III.1534.*

*Iacobus Brzozowicz, regis Poloniae aulicus,*
*Dorotheae in Prussia duci*
*pro anulo matrimoniali, praeter exspectationem suam sibi misso, quoniam revera aliquando ebrius de matrimonio suo iocose cum amicis loquebatur, gratias agit seque duci et ducissae commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 167.*

*H B A, B 2, K.358.*

## N. 378.

*Cracoviae, 18.III.1534.*

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*summam 4000 aureorum sibi a duce mutuo dandam expetit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 190.*

*H B A, B 2, K.358.*

## N. 379.

*Vilnae, 20.III.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*transmittit exempla litterarum regis ad imperatorem, ad principes electores et ad ordines Imperii, datarum, quae in archivo nunc desunt.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

## N. 380.

*Vilnae, 28.III.1534.*

*Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de oratoribus Livoniensium a rege [Sigismundo I] exceptis refert; legationem eorum et responsum eis a rege datum mittit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 215.*

*(Annexa: instructio legatorum Livoniensium 13.II.1534, quam hic publicamus; responsum regis legatis Livoniensium datum, iam ed.: A.T. XVI, 207)*

*H B A, B 2, K.358.*

*Annexum: Instructio oratorum Livoniensium, 13.II.1534.*

Instructio harum rerum, quas nostro, Thome,[1] Dei gratia Sancte Rigensis Ecclesie Archiepiscopi, Ioannis Tarbatensis,[2] Hermanni Cu-

roniensis[3] et Ioannis Revaliensis Episcoporum,[4] Waltheri a Plettemberg, Magistri Ordinis Teuthonicorum per Livoniam, necnon Capitulorum, preceptorum ac vasallorum ditionum nostrarum nomine, ad Regiam Maiestatem Poloniae, patronum, Dominum, vicinum, amicum ac protectorem nostrum colendissimum, per Nuncios nostros perferri volumus.

Regia Maiestate pro more salutata, nostrique et ecclesiarum nostrarum commendatione cum obsequiorum nostrorum nuncupatione premissa, commemorabunt Nuncii nostri nos proximis Comiciis Velinensibus eius Serenissime Maiestatis litteras in favorem Reverendi et Illustris Principis Domini Guilielmi, eius Regie Maiestatis ex sorore nepotis, Coadiutoris Sancte Rigensis Ecclesie, Marchionis Brandenburgensis etc., directas, reverenter accepisse. Quibus per negotiorum frequentiam responderimus, nos ob gratiam Regie illius Maiestatis, pro virili nostra, nihil earum rerum omissuros, quae in commodum et ornamentum Serenissime Sue Maiestatis nepotis, quoad ex equo et bono liceret, pertinere viderentur. Et exactis Comitiis per Legatos nostros statum cause presentis ac totam eius rei seriem Regiae Suae Maiestati prolixius significaturos.

Sciat itaque Regia Sua Maiestas (quum in hisce temporum turbulenciis ac rerum difficultatibus, bone memorie Domino Ioanne, tunc Archiepiscopo Rigensi et Episcopo Tarbatensi,[5] rebus humanis exempto, Capitulum et vasalli diocesis Rigensis, multis ac permagnis rationibus adacti, quo liberius ac tutius suis iuribus,[a] privilegiis ac libertatibus fruerentur incolumes, in favorem Regie Sue Maiestatis ac inclytae Brandemburgensis Electorie Domus ornamentum, Reverendum et Illustrem Principem Dominum Guilielmum, eius Maiestatis ex sorore nepotem, Marchionem Brandemburgensem etc., presenti eorum Domino Archiepiscopo in Coadiutorem petiissent, eaque res apud multos, qui illam secus, quam gesta esset, interpretarentur, male audiret) dictum Dominum Archiepiscopum cum Venerabili Capitulo et vasallis suis, pro tollendis suspitionibus sedandisque dissidiis intestinis et seditionibus periculosissimis, rem omnem, uti gesta erat, communibus patrie Statibus declarasse, cum tali annexa clausula: videlicet dictum Dominum Coadiutorem, in conservationem rerum, iurium et privilegiorum dicte Rigensis Ecclesie tantum, et non in preiudicium, damnum sive incommodum aliorum asscitum, ipsumque boni Principis officio functurum, pactis staturum ac universos patrie Status in iuribus, privilegiis ac libertatibus suis incolumes servaturum, idque data fide, iuramento vallata, literisque suis diplomate proprio et sub eius chirographo firmatis, professurum et corroboraturum.

Que res multorum animorum motus, ad seditionem publicam inclinatos, in favorem Suae Regiae Maiestatis sedasset, Dominum Archiepiscopum cum Venerabili Capitulo ac vasallis suis in gratiam Statuum reposuisset. Quunque iam pacata essent omnia, dictusque Dominus Coadiutor in provinciam receptus, et non infima, sed precipua pars diocesis illi ab Archiepiscopo tradita et consignata fuisset, et quum earum rerum nihil timeretur, idem Dominus Coadiutor, ad pravam et maliciosam nonnullorum suggestionem, quibus potissimum cordi est communem pacem turbare, Lutheranicam perfidiam sectari ac sua propria commoda publicis anteponere, fuit autem eius rei precipuus antesignanus Georgius ab Ungern, post decursum primi anni possessionem nonnullorum arcium ac dominiorum, ad Ecclesiam Osiliensem spectantium, dolis, perfidia ac vafricie tradentium partam, nulla fraterna monitione sive canonica citacione praemissa, violatis publice fidei literis ac contempto iuris ordine,

in absencia veri Domini et confirmati Episcopi Osiliensis ingressus est, ad pretensam quandam frivolam atque inanem postulationem Capituli et nonnullorum vasallorum eiusdem diocesis, nulla habita ratione, quod ante annos plus minus duos preteritos idem Capitulum Reverendum Dominum Reinoldum,[6] per id temporis spatium eiusdem Ecclesie Osiliensis Decanum, virum integrum et non ex infima huius patriae nobilitate oriundum, canonice elegisset.

Isque publice Episcopus proclamatus, adhibitisque solennibus ceremoniis, in possessionem universarum rerum, ad Ecclesiam Osiliensem pertinentium, inductus fuisset ,et ab huius patrie Statibus ac subditis suis, quum in publicis conventibus, tum praecipue in propria suarum rerum administratione, pro vero, legitimo atque indubitato Episcopo Osiliensi habitus, tentus, nominatus et reputatus. Quodque eius electio per Rhomanum Pontificem confirmata et regalia a Sacra Caesarea Maiestate desuper illi tradita essent et fuissent, et tocius diocesis in temporalibus sibi premissa potestas.

Quod factum Domini Coadiutoris iam dudum malam de illo conceptam suspicionem redintegravit ac multorum bonorum virorum animos a gratia sua ita alienavit, ut multi rem alio spectare, quam universis Statibus proposita esset, palam et publice dicere non reformidarent, Confirmato presertim suorum perfidiam ac innocentiam suam cum gemitu et suspiriis lamentabiliter allegante, seque in possessionem restitui petente et illo occupata castra et bona tam pertinaciter defendente, ut res Osiliensis predis, rapinis, caedibus et incendiis undique conflatis inducta sit. Et prope ad iustum bellum progressa esset et fuisset, ni Dei Optimi Maximi clementia et ardens studium nostrum in componenda pace eiuscemodi motus compressissent avertissentque.

Quapropter bonorum virorum officium facturi ac Regiae Suae Maiestatis cumprimis gratificaturi[b] propositis, Cesareae Maiestatis nomine edictis publicis armorum tractationem coercuimus atque suspendimus. De causae iustificatione per viam amicabilis compositionis, aut coram iudice ordinario sive competenti, ex equo et bono cognituri. Et quanquam non sine magna animi nostri molestia gravique sumptu atque impendio, non semel etiam indictis propterea publicis universorum Statuum Comiciis, partes ipsas componere et in concordiam redigere studuerimus. Frustra tamen operam et impensam collocavimus, altero possessionem, utcunque adeptam, tueri nitente et nihil aliud quam Breve Apostolicum, quo Pontifex Confirmato suadet, ut Marchioni, intuitu patris et pro cavendis futuris malis, diocesi cedat, acceptaque honorifica aliqua provisione vite sue tempore frueretur, in medium adferente; altero vero canonice electioni concorditer facte, et per Rhomanum Pontificem conformate atque a Sacra Caesarea Maiestate regalibus roboratae, et pristine possessioni et restitutioni inhaerente eamque, tanquam de iure sibi debitam, petente.

Et licet in nos fide bonorum virorum compromitti aut rem litigiosam in exitum causae sequestrari petierimus, hactenus tamen littus, ut dici solet, oravimus et conatus nostros in cassum effudimus omnes. Et ni Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Rigensis, veluti Metropolitanus diocesis Osiliensis et eius cause iudex ordinarius, ad nostram frequentem instantiam predictam causam ordinario iudicio tractandam suscepisset, via facti pendente lite interdicta, res ad priores tumultus haud dubie reversa fuisset.

Quae quum in rei veritate ita se habeant, putavimus ea quoque ad

Regiam Suam Maiestatem perscribenda, ut si ab alterius partis studiosis, utpote Georgio ab Ungern, quem intelligimus non diu antehac apud Regiam Maiestatem fuisse, secus, quam gesta sunt, ad Regiam Suam Maiestatem perferantur sive perlata fuerint, sciat eorum omnium, huius autem Georgii imprimis, ceu hominis seditiosi, perfidi atque non integrae famae, fidem presenti nostra fidaque relatione elisam, Regiam Maiestatem Suam plurimum et ex animo rogantes, velit pro innata principali eius clementia et vera vite sanctimonia et morum gravitate praedita singulari, ac pacis amica et iusticie studiosissima, nepotem suum, Illustrem Dominum Coadiutorem, paterne monere, ut datam fidem (que hosti etiam servanda est) sincerius observet, ac deinceps sua sorte contentus, a similibus ceptis temperet, tum legitime Confirmato possessionem rerum ablatarum restituat, vel saltem coram Archiepiscopali Auditorio cum adversario de iure experiatur, et iuris exitum, positis armis, patienter expectare non gravetur. Nihil enim illius Excellentie verendum est se ab tam amantissimo Patre precipitatum iri, aut in iure suo ledi aut circumscribi posse, qui suae gratiae ultro etiam potiorem et diocesis sue partem clementer impartivit.

Quod si alienam possessionem vi tueri perseveraverit, existimabit Regia Sua Maiestas, pro senili sua prudentia et multarum rerum usu, quibus incommodis et periculis se idem nepos ac necessarius Maiestatis Suae ac totam provinciam nostram expositurus sit, si Caesaris constitutionibus et ordinationibus Rhomani Imperii contravenire perrexerit et consilium salutare Regiae Suae Maiestatis admittere noluerit. Quae omnia praedicta Regia Sua Maiestas serena, qua solet, fronte accipiat et in bonam partem, ut sunt a nobis fideliter scripta, pro sua principali mansuetudine clementer interpretetur ac secum pro rei magnitudine nil non expendat, plurimum precamur ac flagitamus. Cuius Serenissime Maiestati rursus, quibuscunque poterimus in rebus, summa cum animi voluntate perpetuo servituri sumus. Quam in foelix Regnorum et dominiorum suorum incrementum Deus Optimus Maximus in annos Nestoreos conservare nobis dignetur incolumem. Et cui, nos, cum Ecclesiis nostris, cupimus esse commendatissimos. Datum Vellin, ipsa Dieta, 13 Februarii, anno a Christo Incarnato MDXXXIIII.

a) *in ms.* viribus
b) *in ms.* gratificari
1) *Thomas Schöning.*
2) *Ioannes VI Bey.*
3) *Hermannus Ronneberg.*
4) *Ioannes Roterdt.*
5) *Ioannes Blankenfeld.*
6) *Reinoldus a Buxhövden.*

## *N. 381.*

*Poltoviae, 11.IV.1534.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de agricolis profugis restituendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 382.*

*Poltoviae, 21.IV.1534.*

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de agricolis profugis restituendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 383.*

*Cracoviae, 6.V.1534.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Anna duce Masoviae nemini extra Regnum Poloniae nubere volente, ergo nec duci Münsterbergensi nuptura.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 275.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 384.*

*Cracoviae, 6.V.1534.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Achatio Czema, castellano Gedanensi,*
*se iam pridem cognovisse scribit eum ac collegam eius [Christophorum Bayer] minus benigne a rege [Sigismundo I] et regina [Bona] exceptos esse; quod fraternitatem suam cum duce Prussiae ineundam attinet, asserit amori suo erga ducem nihil amplius addi posse; duci utilius esse censet ordines Regni sibi amicos habere quam in desideriis suis impossibilibus persistere.*
*(Exemplar).*

*Iam ed.: A.T.XVI, 276.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 385.

Posnaniae, 10.V.1534.

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de limitibus controversis inter electorem Brandenburgensem [Ioachimum I] et ipsum per utriusque partis commissarios determinandis.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.358.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ago et habeo Illustrissimae Vestrae Dominacioni ingentes gracias, quod ad Dominum Debritz in negocio limitum iuxta supplicacionem meam scribere dignata fuerit, quamvis ille contra ius meum nihilo micior fuerit effectus. Nam cum ego ad fines illos certos Regni Consiliarios Commissarios dederim, et Illustrissimus Princeps Elector inter suos Commissarios ipsum Debritz, hominem cause favorabilem, deputarit, ita negocium in contencione haesit, ut propemodum infectum fuerit, non ultra se intendentibus ducalibus Commissariis, quam ut Debritz instruxit. Siquidem noluit Debritz meminisse, ut de controversis locis et novo limite disceptaretur, in quibus alternatim usum cepimus usque ad cognicionem de novis terminis, nisi promovisset pedem ad mea prata, in antiqui stagni alveo nunc sita, ut ibi ex meo fundo usum sibi faceret. Quod ei negatum est et negabitur, ne quid dicam de ostensis privilegiis cum descripcione limitum et manifestis signis limitaneis.

Ad ultimum rogavi ducales Commissarios, deferrent una mecum negocium hoc cum libello informacionis bene utrimque descripto arbitrio Illustrissime Vestre Dominacionis, cui ego me pleno subiicio iure non tantum ea de re, sed si de capite et omnibus fortunis meis ageretur. Quam rem Domini ducales Commissarii prius Illustrissimo Principi suo, Domino Marchioni Electori, deferre voluerunt pollicitique sunt ea de re cerciorem me reddere. Quorum responsum nondum habui. Quum vero intellexi Illustrissimum Principem Dominum Iuniorem Brandemburgensem,[a] Ioachimum, Heinum Debritz propediem ad Illustrissimam Vestram Dominacionem missurum Nunctium, dignetur cum eo ea de re conferre, ut iusticiae aequitatisque meae in dicta controversia racionem habeat, et ne mea ultra tam explorata testimonia et signa vendicare velit...

Datum Poznaniae, X Maii die, anno Domini 1534.

Eiusdem Illustrissime Vestre Dominacionis
servitor
Lucas Comes de Gorca, Castellanus Poznaniensis
et Capitaneus Maioris Poloniae Generalis.

a) *sequitur expunctum verbum:* Principem

N. 386.

Posnaniae, 11.V.1534.

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de pecunia a duce mutuo petenda.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.358.*

N. 387.

Cracoviae, 4.VI.1534.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*dolere se scribit Carolum ducem Münsterbergensem responsionibus Annae ducis Masoviae, nemini extra Regnum Poloniae nubere volentis, contentum non esse.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 319 (iuxta conceptum in Bibl. Nationali Varsaviensi)*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 388.

Varsaviae, 19.VI.1534.

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se pro viribus negotium Caspari sutoris, a duce sibi commendati, tractavisse nuntiat, quo bonum finem sortitum sit; commendat praeterea Stanislaum Stan, aulicum ducis Alberti, qui Caspari sutoris causam cum dexteritate egit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 389.

Rudniki, 22.VI.1534.

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro anulo a ducissa sibi misso gratias agit; equum dono mittit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 344.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 390.

Poltoviae, 23.VI.1534.

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de anabaptistis omnia omnibus communia esse volentibus; de landgravio Hessiae [Philippo], expulsis ducibus Wirtembergensibus ditionem eorum restituere conante (cum auxilio regis Galliae); de eis, quae in Hungaria gerantur, ex litteris Ioannis Łaski ducem melius intellecturum esse scribit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 350.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 391.

*Poltoviae, 3.VII.1534.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis*
*Alberto in Prussia duci*
*se Ioanni Uthmann in administranda ei iustitia operam suam degenegaturum non esse nuntiat, modo is coram compareat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 392.

*Vilnae, 17.VII.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de valetudine regis; de dissensionibus inter reginam [Bonam] et proceres Lithuaniae propter exemptionem bonorum; de regis [Sigismundi I] et reginae benevolo erga ducem animo.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 380.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 393.

*Cracoviae, 18.VIII.1534.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et Regni vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negocio limitum inter Ducatum Prussiae et Magnum Ducatum Lithuaniae ad vota ducis conficiendo omnem se operam navaturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras Dominacionis Vestre Illustrissime, quibus exponit difficultates et incommoda sua, quae in finibus bonorum Ducatus sui Prussiae ob non factos inter ea ipsa bona et Magnum Ducatum Lituaniae limites iam pridem sustinet. Subindeque a me postulat, ut quoniam Maiestas Regia promittere dignata est se deputaturam hac hyeme futura diem, qua isti limites conficiantur prorsusque determinentur, agerem apud omnes Ordines Regni, quo interponerent operas suas ad Maiestatem Suam, ut illa deputare quoque dignaretur ex Consiliariis ipsius Regni aliquos, qui et limitibus praedictis interessent et Vestre Illustrissime Dominacioni ope consilioque suo adessent.

Ego, Illustrissime Domine Princeps, certo quidem michi persuadeo, quod Maiestas Regia sic prospicere istorum limitum negocio dignabitur, ut citra iniuriam et incommodum aliquod Dominacionis Vestre Illustris-

sime conficiatur. Lubens tamen satisfaciam postulacioni Dominacionis Vestre Illustrissime, siquidem res tantam moram pati poterit, hoc est si Conventus Regni Generalis prius celebrabitur quam ceciderit tempus, quod faciendis ipsis limitibus assignabitur. Id, quod ita futurum fore non dubito, quod videlicet Conventus Generalis Regni precedet tempus predictum, quo limites fieri debebunt. Scribitur namque michi ab aula illum vel in ipso hyemis inicio, vel adhuc ante hyemem hoc anno fore indicendum et celebrandum. In eo itaque navabo omnem operam meam, ut Regni Ordines sese voto ac desyderio Illustrissimae Dominacionis Vestrae accommodarent. Sum namque tam propenso tamque alacri studio ad morem gerendum semper Dominacioni Vestrae Illustrissimae, ut nichil non lubens obeam atque exequar, quodcumque Dominacio Vestra Illustrissima in rem suam curatum et confectum a me se velle iudicaverit... Datum Cracoviae, die XVIII Augusti, anno Domini MDXXXIIII.

Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
[a] servitor Petrus Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 394.*

*Kezmark, 10.IX.1534.*

*Ioannes Łaski, praepositus Gnesnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de fratre suo Hieronymo, palatino Siradiensi, nulla indicta causa a rege Ioanne detento et pro captivo habito, pro quo liberando opem ducis implorat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 457.*

*(Annexum: Instructio oratori Ioanni Rastemberg ad Albertum ducem data per Ioannem Łaski, praepositum Gnesnensem, in Kezmark 11.IX.1534, iam ed.: A.T.XVI, 458)*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 395.*

*Budae, 13.IX.1534.*

*Hieronymus (Iaroslaus) Łaski, palatinus Siradiensis,*
*amicis suis*
*de captivitate sua apud Ioannem regem Hungariae et de innocentia sua. (Exemplar)*

*Iam ed.: A.T.XVI, 466.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 396.

*Brestae, 20.IX.1534.*

*Nicolaus Kościelecki, palatinus Calissiensis, et Stanislaus de Kutno, palatinus Ravensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut dux ad Ioannem regem Hungariae pro Hieronymi Łaski liberatione scribere velit, rogant.*
*2 sigilla.*
*Iam ed.: A.T.XVI, 477.*
*H B A, B 2, K.358.*

N. 397.

*Przedecz, 21.IX.1534.*

*Nicolaus Russocki, castellanus Biechoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Hieronymo (Iaroslao) Łaski, palatino Siradiensi, ob malevolorum hominum linguas a Ioanne Hungariae rege in carceribus detento.*
*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XVI, 483.*
*H B A, B ?, K.358.*

N. 398.

*Vilnae, 28.IX.1534.*

*Consiliarii Regni Poloniae, penes regem [Sigismundum I] in Lithuania commorantes,*
*Ioanni regi Hungariae*
*pro Hieronymo (Iaroslao) Łaski, palatino Siradiensi, citra ullam culpam suam, praeter tot merita sua in ipsum regem, in carceres coniecto, liberando.*
*(Exemplar)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 497.*
*H B A, B 2, K.358.*

N. 399.

*Kezmark, 12.X.1534.*

*Ioannes Łaski, praepositus Gnesnensis,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de conditione fratris sui Hieronymi, in captivitate regis Ioannis detenti et de causa liberationis eius; de occisione Ludovici Gritti.*
*(Fragmentum epistolae)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 533.*
*H B A, B 2, K.358.*

N. 400.

*Sekiethecho, 14.X.1534.*

*Ioannes rex Hungariae*
*Ioanni Łaski, praeposito Gnesnensi,*
*se solummodo temporum necessitate adductum esse asserit, ut fratrem eius [Hieronymum] detineret; desiderio tamen eius, ut statim eliberetur, nunc satisfacere se non posse adiungit.*
*(Exemplar)*

*H B A, B 2, K.358.*

Ioannes, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croaciae, Marchio Moraviae ac Lusaciae et utriusque Slesiae Dux.

Reverende *etc.*

Litteras vestras, quibus omnibus ne diuturnae detentionis fratris vestri nota genus vestrum notari faceremus, rogatis, accepimus. Credatis certo genus et propaginem vestram magni semper apud nos extitisse et primo quoque tempore haberi, ac tum exinde, tum vero habita ratione bonorum servitiorum fratris vestri, vix nos ad hoc, ut frater vester detineatur, prout ex aliis litteris nostris, proxime ad vos datis, intellexistis, adduci potuisse. Cum tamen rerum presentium necessitas id ita tulerit, ut desiderio vestro in fratre omnino nunc eliberando, aut vestro ad nos adventu, qui hoc tempore fieri nequit, respondere nequeamus, aequo vos id facere velimus animo. Absolutis enim rebus, quae proxime nobis imminent, que etiam in re vobis non defutura expedientur, non deerit postea vestri ad nos facultas veniendi. Datum ex possessione Sekiethecho, XIIII Octobris 1534.

Ioannes Rex manu propria.

N. 401.

*Vilnae, 18.X.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*marchionem Gulielmum, coadiutorem Rigensem, ducis fratrem, sibi commendatissimum esse scribit, sed cum legati Livonienses Vilnam venissent, nullam oblatam fuisse occasionem eius causae mentionem faciendi.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 542.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 402.

*Vilnae, 18.X.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro consolationibus ob mortem patris gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

*N. 403.*

*Kezmark, 20.X.1534.*

*Ioannes Łaski, praepositus Gnesnensis,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de aegritudine fratris sui Hieronymi a Ioanne rege Hungariae in captivitate detenti et de conatibus ad eius liberationem susceptis.*
*(Exemplar)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 544 (iuxta: Lasciana N. 60)*
*H B A, B 2, K.358.*

*N. 404.*

*Cameneciae in Podolia, 29.X.1534.*

*Stanislaus Lanckoroński, palatinus Sandomiriensis,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de trucidatione Ludovici Gritti; de sultani Turcarum, magnis acceptis damnis, ex Persia regressione et in Anatoliam adventu; de Volinia a Tartaris devastata; de periculo ex eorum parte toti Podoliae impendenti.*
*(Polonice, exemplar)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 552.*
*H B A, B 2, K.358.*

*N. 405.*

*Cameneciae in Hungaria, 2.XI.1534.*

*Matthias Łobocki, regis Hungariae consiliarius,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de negotio liberationis Hieronymi Łaski ex captivitate Ioannis regis Hungariae.*
*(Exemplar)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 559.*
*H B A, B 2, K.358.*

*N. 406.*

*Biecz, 6.XI.1534.*

*Ioannes Łaski, praepositus Gnesnensis,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de negotio liberationis fratris sui, Hieronymi Łaski, palatini Siradiensis, ex captivitate Ioannis regis Hungariae.*
*(Exemplar)*
*Iam ed.: A.T.XVI, 565 (iuxta: Lasciana N. 61)*
*H B A, B 2, K.358.*

N. 407.

*Bartniki, 13.XI.1534.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Andrea Klewkowski, ut certa privilegia super bona sua hereditaria Gieczwałd (Klyeczwalth) a duce obtineat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 408.

*Vilnae, 18.XI.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimoniali Ioachimi marchionis Brandenburgensis cum Hedvige, filia Sigismundi I.*
*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 583.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 409.

*Kezmark, 19.XI.1534.*

*Ioannes Łaski, praepositus Gnesnensis,*
*Severino Boner, castellano Zarnoviensi,*
*de Ioannis Tarnowski in Hungariam proxime futura profectione in negotio liberationis Hieronymi Łaski, palatini Siradiensis, ex captivitate Ioannis regis Hungariae.*
*(Exemplar)*

*Iam ed.: A.T.XVI, 588 (iuxta: Lasciana N. 63)*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 410.

*Srzeńsko, 24.XI.1534.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro quodam subdito Pauli a Crisko, ut ei a capitaneo Dzialdoviensi Raychemberk iustitia administretur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 411.

Poltoviae, 27.XI.1534.

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Andrea Klewkowski, ut ei aliquod novum privilegium, antiquo per incendium consumpto, super bona eius hereditaria Gieczwałd (in ms. Kieczwalth) a duce concedatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 412.

Cracoviae, 29. XI.1534.

*Severinus Boner, castellanus Zarnoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio liberationis Hieronymi Łaski ex captivitate Ioannis regis Hungariae et de caede Ludovici Gritti.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVI, 599.*
*(Annexum: « Neue Zeitung von Gritti..... ». Versio latina iam ed.: A.T. XVI, 503)*

*H B A, B 2, K.358.*

N. 413.

Vilnae, 7.XII.1534.

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia sua declarat et mittit litteras Bernardi Wapowski, cantoris Cracoviensis.*
*(Annexum: Exemplum litterarum B. Wapowski, cantoris Cracoviensis de 16.XI.1534. ad Ioannem Chojeński cum variis novitatibus, iam ed.: A.T.XVI, 578)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Negotia, quae Dominatio Vestra Illustrissima Domino Nicolao Nipschitz, ut apud Regiam Maiestatem conficeret, proxime imposuit, quomodo confecta sint, supervacaneum fore iudicavi, si Dominationi Vestrae Illustrissimae perscriberem, quod sciam ipsum Dominum Nipschicz de omnibus, ut solet, luculentissime in suis literis explicasse. Nova, quae hic apud nos feruntur, ex iis, quae his inserui, Dominatio Vestra Illustrissima cognoscet. Aliud nunc, quod ad Dominationem Vestram Illu-

strissimam mihi scribendum esse existemem, non habeo... Vilnae, VII Decembris, anno Domini MDXXXIIII.

[a] Eiusdem Vestre Illustrissimae Dominationis servitor
Episcopus Premisliensis manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 414.*

*Vilnae, 16.XII.1534.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negotio Gulielmi marchionis, ducis fratris, duos iam legatos ad Ordines Livonienses missos esse notificat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.358.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Significo Dominationi Vestrae Illustrissimae confectum iam esse id, quod Dominatio Vestra Illustrissima a Regia Maiestate petiverat et mihi indicaverat, nimirum ut mitteretur legatio ad Ordines Livonienses de negocio Illustrissimi Domini Vilhelmi, Dominationis Vestrae Illustrissimae fratris germani, tractatura. Missi sunt duo Legati, quibus haec, que cum his ad Illustrissimam Dominationem Vestram transmitto, in mandatis data sunt a Regia Maiestate. In posterum, si quid erit, in quo studium meum atque operam Dominationi Vestrae Illustrissimae sive necessariis eius probare possim, enitar, ut omnia quam accuratissime faciam... Vilnae, XVI Decembris, anno Domini MDXXXIIII.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
inservitor
Episcopus Premisliensis manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

# 1535

*N. 415.*

*Vilnae, 3.I.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis, Alberto in Prussia duci instructionem, quam dux Fabiano a Dameraw* [*Wojanowski*], *ad imperatorem* [*Carolum V*] *in negotio Gulielmi marchionis amandato, mitti postulaverat, ad eum mitti non posse refert, nam hoc regi non videtur ex dignitate sua fore.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Acceptas Illustrissimae Dominationis Vestrae litteras proximas perlegi Regiae Maiestati, una cum instructione, quam Illustrissima Dominatio Vestra Fabiano a Dameraw, ad Caesaream Maiestatem amandato, mitti postulavit. Id quod ego, ut antea non ommisi, ita nunc quoque enixe contendi ab Regia Maiestate. Verum non est visum ipsius Maiestati ex re et dignitate sua fore, ut ita Fabianus nomine Maiestatis Suae agat, aut aliter quomodolibet, praeterquam iuxta praescriptum Suae Maiestatis. Iussit tamen dari mandatum ad eum, ut accurate et diligenter agat, quod in mandatis habet, et ut advocatis atque procuratoribus Illustrissimi Domini Marchionis, Illustrissimae Dominationis Vestrae fratris, rebus in omnibus praesto sit.

Existimat enim ipsius Maiestas Illustrissimum Dominum Vilhelmum Marchionem commodius et convenientius ista sic per suos nuncios et causidicos acturum esse.

Quod ad advocatum Mariemburgensem attinet, quoniam non constat Regiae Maiestati quicquam de iis impensis, quas ipsa causificatur, facit ei potestatem utendi fruendi illius praedii tantisper, dum ex Domino Thesaurario [1] terrarum Prussiae rem, ut se habet, exacte resciscit, atque ea de re dedit iam ipsius Maiestas mandata ad ipsum Dominum Thesaurarium. Cum resciverit, habitura et Illustrissimae Dominationis Vestrae et illius petitorum respectum... Vilne, 3 Ianuarii, MDXXXV.

[a] Vestrae Illustrissimae Dominationis servitor
Episcopus Premisliensis manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *Stanislaus Kostka.*

## N. 416.

*Posnaniae, 20.I.1535.*

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris ducis manu scriptis, tractationes cum Ioachimo iuniore marchione Brandenburgensi concernentibus, gratias agit; de sua proxima cum exercitu in subsidium Lithuanis profectione nuntiat.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*Cfr. reg. A.T.XVI, 38.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Reddite mihi sunt 15 die mensis presentis Illustrissime Dominacionis Vestre littere, scripte in Monte Regio propria manu eiusdem 15 die Decembris. Ex quibus plane et abunde intellexi, quid Sacra Maiestas Regia Polonie etc., Dominus meus clementissimus, Illustrissime Dominacioni Vestre responsi dederit ad ea, que per Illustrissimam Dominacionem Vestram in Driszen cum Illustrissimo Domino Ioachimo Iuniore Marchione Brandenburgensi etc. tractata et conclusa invicem sint. Et quamvis ista omnia ad me delata fuerant, anteaquam Illustrissime Dominacionis Vestre littere ad me pervenerint, nihilominus Illustrissime Dominacionis Vestre littere quam plurimis ex argumentis gratissime apud me fuere, eoque graciores, quod Illustrissima Dominacio Vestra, existens ocupata tot arduis magnisque negociis, non dedignata est hunc laborem subire easque manu sua et quidem copiosas scribere. Pro qua tanta Illustrissime Dominacionis Vestre humanitate maiores, quas possum, ago et habeo gracias demererique per omnem ocasionem studebo. Quid autem Illustrissimus Dominus Ioachimus Iunior Marchio etc. hac in re constituerit, Illustrissima Dominacio Vestra procul dubio ex litteris Sue Illustrissime Dominacionis intelligere dignabitur.

Ego pre ocupacionibus meis copiosior in scribendo esse non possum. Paro enim profectionem meam cum exercitu, quem Status et Ordines Regni Polonie in subsidium Dominis Lithuanis mittunt, meque ducem eiusdem prefecerunt. Quod spero Illustrissime Dominacioni Vestre iam aliunde incognitum non esse.

Cum his me in graciam Illustrissime Dominacionis Vestre iterum atque iterum diligentissime et ex animo commendo cupioque Illustrissimam Dominacionem Vestram et diutissime valere et optatis semper frui suctessibus.

Legi eciam Magnifico Domino parenti[1] meo tam humanissimas Illustrissime Dominacionis Vestre litteras. Cuius Magnificencia non minori studio cupit esse Illustrissime Dominacioni Vestre commendatus... Datum Posnaniae, 20 Ianuarii, anno 1535.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre servitor

Andreas Comes a Gorka etc. manu sua subscripsit.

1) *Lucas a Górka.*

N. 417.

*Głęboki Stok, 29.I.1535.*

*Nicolaus Pęski*
*Alberto in Prussia duci*
*de subdito suo in civitate ducali Friedland interfecto et de sale aliis subditis suis illegitime arrestato conqueritur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non pridem miseram cum nonnullis meis mercanciis subditos meos in urbem Vestrae Dominacionis Illustrissimae Regium Montem pro sale coemenda[z] pro necessitate domus mee. Subditi mei tandem, mercanciis venditis, sale coempta,[z] venerunt in civitatem Vestrae Dominacionis Illustrissimae Friedelanndt. Ibi unus ex subditis meis extra menia illius civitatis est interfectus. Senatus tandem civitatis illius duos equos cum curribus duobus et cum duabus tunnis salis arrestavit, quamvis subditos meos innocentes invenerunt, prout servitor meus, lator presencium, Vestrae Dominacioni Illustrissimae lacius declarabit. Cui uti Vestra Dominacio Illustrissima adhibere aurem gratiosam et credulam dignaretur iustitiamque mandare administrare indilatam, vehementer suplico... Datum in Glemboki Stok, XXIX mensis Ianuarii, anno 1535.

Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
in obsequiis deditissimus
Nicolaus Penski terrigena districtus Bielscensis,
Advocatus Reginalis Maiestatis Knyschinensis.

z) *sic in ms.*

N. 418.

*Posnaniae, 11.II.1535.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras Ioachimi marchionis Brandenburgensis electoris, ad ducem scriptas.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 419.

*Sandomiriae, 25.III.1535.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*officia sua offert et de liberatione Hieronymi Łaski a servitutis vinculo Ioannis regis Hungariae refert.*

*Sigill.*

*Cfr. reg. A.T.XVII, 182.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Magnas et nunquam intermorituras habeo Illustrissimae Dominacioni Vestrae gratias, quod illi incolumis valetudo mea meorumque omnium

adeo cordi est, ut illam volet[z] esse diuturnam et foelicem, gratulaturque ad hec Illustrissima Dominacio Vestra iniunctae mihi a Sacra Regia Maiestate, Domino meo clementissimo, provinciae. Inde minime vana Illustrissimae Dominacionis Vestrae erga me favoris et gratiae capio argumenta, quae mihi, nihil istiusmodi merenti, gratuito atque liberalissime exhibere dignatur Illustrissima Dominacio Vestra, quo me nimirum sibi servitorem omnibus nominibus debentem reddiderit. Et cum compertum habeam Illustrissimam Dominacionem Vestram coniunctissime et amicissime cum illo optimo viro, Domino Cracoviensi,[1] dum in humanis ageret, vixisse, in eam venio spem, quod eius omnem superstitem posteritatem, in cuius ego etiam numero sum, pari gratia et favore complecti desistere non dignabitur. Quod ego de Illustrissima Dominacione Vestra omni servitute mea, quecumque muneris mei esset, sedulo atque diligenter mereri enitar, nusquam probi et benevoli servitoris, ubi usus inciderit, officium neglecturus. Ut autem volebat Illustrissima Dominacio Vestra ex me sibi perscribi de Domino a Lasko, sciat Dominum Hieronimum a Lasko ab omni servitutis Regis Ioannis vinculo esse in toto et in parte liberum factum. Quamvis eum honorificis et satis amplis condicionibus in suis adhuc serviciis retinere optabat. Domino tamen a Lasko visum tum non erat illas acceptare, agitque nunc in Hungaria in bonis suis, Regno Poloniae vicinis...

Datum Sandomiriae, feria quinta ante festum Sacri Paschae, 1535.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Christophorus Szydłowiecki.*

N. 420.

*Vilnae, 3.IV.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntiat negotium Danicum se apud regem [Sigismundum I] diligenter sollicitasse, qui uberiorem hac de re significationem expectat.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XVII, 209.*
*H B A, B 2, K.359.*

N. 421.

*Bodzentyn, 6.IV.1535.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*se semper gratiam ducis sibi comparare et illi in omnibus servire cupivisse asserit; ducis sollicitudinem in praevidendis et propulsandis futuris periculis laudat simulque explicat, cur rex [Sigismundus I] delectum militum ei denegare cogatur; ducem Masoviae Annam extra Regnum Poloniae nemini nubere velle significat.*

*Sigill.*
*Iam ed.: A.T.XVII, 217.*
*H B A, B 2, K.359.*

N. 422.

*Vilnae, 16.IV.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*famulum ducis, Felicem ab Allen (Alden) a rege [Sigismundo I] obtinuisse significat, ut 50 lastos salis a teloneo immunes exportaret; refert de Moscovia, a praefecto arcis Czerkassiensis Eustachio [Daszkiewicz] devastata.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 235.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 423.

*Rzęśnia, 18.IV.1535.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Russiae et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux auctoritatem et operam suam interponat ad Stanislaum Kostka, terrarum Prussiae thesaurarium, et Achatium Czema, invicem reconciliandos.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 240.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 424.

*Vilnae, 19.IV.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*regem mandatum dedisse Gedanensibus, ut sic se erga regem Suetiae [Gustavum I] gererent, ut ipsis bona vicinitas cum illo integra permaneret.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 247.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 425.

*Vilnae, 3.V.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris gratias agit et transmittit exemplum responsi ducis Pomeraniae*

*ad litteras regis [Sigismundi I], de foederibus servandis eum admonentes; responsum a duce Megapolensi nondum pervenisse nuntiat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 284.*

*(Annexum: exemplum litterarum Barnimi ducis Pomeraniae, germanice scriptarum 6.VII.1535, quod hic publicamus)*

*H B A, B 2, K.359.*

*Annexum: Barnim dux Pomeraniae ad regem Poloniae, 6.IV.1535:*

Durchleuchtigster...

Nach dem wir durch Euwer Ko. D. schreiben uff die erbvortrege, so zvischen der loblichen kron Poln und uns aufgerichtet, angezogen werden, wo wir erfarend wurden, das die vorwanten des Teutschen Ordens practik und anschlege Euwer Ko. D. reich und vorwanten mit kriegshandlung zu beschweren und unruwich unchristlich wesen, des sie sich alzeit zvischen den christlichen potentaten, Euwer Ko. D. schreiben nach einzufuren uben in arbeit stunden, das wir Euwer Ko. D. dasselbe nit vorhalten wolten. Geben auch darauf Euwer Ko. D. freintlicher meinunge zu erkennen, das wir bis anher gar nichts gehoret ader erfaren, damit Euwer Ko. D. reich ader die vorwanten desselben von dem Teutschen Orden beleidiget werden mocht. Seindt auch erbottig, wo wir deshalben etwas erfarn wurden, das wir dasselbe mit allem umbstandt, wo es an uns langet, Euwer Ko. D. zu vormelden und den anschlegen und vorhaben des Ordens, als wir den in craft obangezeigter buntnuss zu thunde schuldig, zu wehren geneigt seindt... Datum Stettin, mitwochs nach Quasimodo geniti, anno etc. XXXV.

Barnim von Gots gnaden hertzog zu Stettin, Pomern, der Cassuben und Wenden, furst zu Rugen und graff zu Gutzkaw.

Dem Durchleuchtigsten, grossmechtigen fursten, hern Sigismund, konige zu Poln etc.

*N. 426.*

*Vilnae, 9.V.1535.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, curiae regis iunioris magister, Alberto in Prussia duci*

*adversa valetudine impeditum se brevius ad litteras ducis respondere scribit; narrat nova de bello contra Moschum parando et de adventu Vilnam Ioannis Tarnowski, capitanei Regni generalis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Reddite sunt mihi nuper gratissime littere Vestre Illustrissime Dominacionis, quibus mihi clementissime scribere dignata est. De quo Vestre Illustrissime Dominacioni humilimas ago et habeo gracias. Et utinam hanc graciam, qua me Vestra Illustrissima Dominacio complecti non dedignatur, meis perpetuis serviciis illi promereri possem. Nunc vero cum essent mihi porrecte eedem littere Vestre Illustrissime Dominacionis,

ex permissione divina valitudine adversa duabus septimanis, gravi febre consumptus et fatigatus, nec mihi consulere nec Vestre Illustrissime Dominacioni servire potui. Boni itaque consulere velit Vestra Illustrissima Dominacio, humilime illi supplico, quod et litteris Vestre Illustrissime Dominacionis minus, quam decet, et manu alterius respondeo. Sed postquam me ex gracia Dei reficiam, ea omnia, que mihi Vestra Illustrissima Dominacio committere dignatur, meis humilimis serviciis assidue exequar, quibus uti semper non dedignetur et me hic loco proprii et humilis servitoris sui habere velit Vestra Illustrissima Dominacio.

Nova hic nulla sunt scitu digna. Regia Maiestas diligentissime parat bella Moschis maximo sumptu et sufficienti apparatu. Magnificus Dominus Comes Tarnoviensis, Capitaneus Regni Generalis, pridie huc venit et ab omnibus honorifice exceptus. Alii vero Poloni stipendarii [z)] bene instructi actingunt se bello. Ducatus eciam tocius terre properat pro festo Sancte Trinitatis ad campum Odryczkie. Quos Deus Omnipotens velit conducere et cum victoria hostium felicissime reducere... Quam felicissime diutissimeque semper valere plurimum opto. Datum Vilne, 9 Maii, anno Domini 1535.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
perpetuus servitor
Petrus Opalenskii, Castellanus Landensis,
Curie Magister Regiae Maiestatis.

z) *sic in ms.*

*N. 427.*

*Vilnae, 10.V.1535.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Wojnicensis, magister curiae reginalis Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*diligentiam suam in omnibus pollicetur et scribit se aulico, a duce sibi commendato, nomine Steinkirch, magnopere favere.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 428.*

*Vilnae, 16.V.1535.*

*Alexander Iłowski, pincerna Lomsensis et Visnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum et arma sibi mitti petit; a rege [Sigismundo I] praefecturam sibi in Lithuania commissam esse significat; refert de Moscorum in Lithuaniam incursione.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 300.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 429.

Płock, 21.V.1535.

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*gratias agit pro dilatione termini conventus commissariorum in negotio aquaeductus a lacu Dzierzgoń (in ms. Sorgow) Marienburgum versus derivandi.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 306.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 430.

Vilnae, 23.V.1535.

*Nicolaus Wolski, castellanus Wojnicensis, magister curiae reginalis Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit pulveres ad pixides manuarias pro regina [Bona] mutuo sibi mittendos.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 431.

Vilnae, 30.V.1535.

*Andreas a Górka, castellanus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro donato sibi equo gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 432.

Vilnae, 6.VI.1535.

*Nicolaus Wolski, castellanus Wojnicensis, magister curiae reginalis Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Benedicto, artifice pennario, cive Regiomontano.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum is subditus Illustrissime Dominationis Vestre de Regio Monte, Benedictus, pennarius artifex, huc ad aulam appulisset, ego, qui iam pridem me Illustrissime Dominationi Vestre obsequi devovi, et omnibus, qui sub nomine Illustrissime Dominationis Vestre sint, morem gerere studeo, sciens hunc Benedictum esse subditum Illustrissime Domina-

tionis Vestre, et ob eius singularem conservationem, tum benemerita, cum apud Dominum Comitem de Tharnow, Capitaneum exercituum Polonie, famulabatur, accepi eum in meam protectionem, ne ab aliquo perperam, ut fit, opprimeretur. Quod haud me penitet sibi prestitisse, quia non ingratus huius a me extitit.

Nunc autem, paucis transactis diebus, infelix casus eum est subsequutus. Uxorem, quam habuit et elegantem et de re familiari solicitam, fato ammisit, ob idque iam plane in suo statu desperat. Sed ob eius artifficium, sane toti curie opportunum, complures circa aulam ipsum residere ambigientes,[z] aloquuti sunt eum, ut cum Regia Maiestate Cracoviam concederet, id pro eius commodo futurum ominantes. Quorum persuasionibus tametsi annuit, nihil tamen ultra voluntatem Illustrissime Dominationis Vestre attentare vult. Et quia compertum habeo, in quanta pietate et gratia subditos suos Illustrissima Dominatio Vestra fovere dignatur, supervacaneum sit peticionem importunam addere, quum nihil dubito, quod hoc facile concedere dignabitur, ut ipse pauper negociator liberam facultatem abeundi haberet, ut interim sese sublevando ex his debitis, quibus est implicitus, commodius extricari posset. Hoc solummodo impense rogo, ut, habita condigna racione eius paupertatis, ex innata sua clemencia efficere dignetur, ut per auctoritatem Illustrissime Dominationis Vestre, tam ab amicis olim sue uxoris, quam ab aliis quibusvis creditoribus, presertim autem per quendam civem Regii Montis Spernekek, non inquietaretur, etiam non plus quam per unum annum. Quibus omnibus satisfacere postea vult. Ad exonerationem enim debitorum, que contraxit, nullam opportuniorem occasionem habere poterit, quam cum circa aulam egerit, presertim sub hoc tempore nupciarum Serenissime Reginule,[1] quo alterutri in ornamentis preesse cupient. Que lis ad suum loculum redundabit. Igitur confido Illustrissimam Dominationem Vestram eius hac necessitate moveri et mee intercessionis intuitu. Quod per omnem occasionem remereri officiosissime curabo... Vilne, die sexta Iunii, anno MDXXXV.

Nicolaus Wolski, Castellanus Voynicensis,
Sacre Reginalis Maiestatis Curie Magister
[a] idem Nicolaus, qui supra, manu propria obsequiose subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Hedvigis.*

## *N. 433.*

*Vilnae, 13.VI.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de mittendo in Livoniam sagaci rerum perscrutatore, Achatio Czema, ex litteris regiis ducem intellecturum esse nuntiat; mittit exempla responsionum Gedanensium regi de navibus regis Sueciae [Gustavi I] datarum; de lacu Drużno (Drausen); de expeditione Lithuanica contra Moscos.*
*Sigill.*
*(Annexum, de quo in epistola, deest).*
*Iam ed.: A.T.XVII, 338.*
*H B A, B 2, K.359.*

N. 434.

*Vilnae, 15.VI.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*vasculum (in quo, ut opinatur, aliquot epistolae continentur), a marchione Gulielmo ex Livonia per veredarium regium allatum, transmittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 435.

*Posnaniae, 15.VI.1535.*

*Lucas a Górka, castellanus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Hungariae regum [Ioannis et Ferdinandi] animis ad pacem magis nunc inclinatis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum is Nunctius ad Illustrissimam Dominacionem Vestram esset profecturus, facere nolui, ut literis meis vacuum ad Illustrissimam Dominacionem Vestram abire permitterem, quibus, cum aliud argumentum defuit, Illustrissime Vestre Dominacionis incolumitatem viserem et ei fausta queque et felicia imprecarem. Ad me nuper quorundam amicorum literis delatum est magno studio de pace inter Serenissimos Hungariae Reges Vienne Austriae tractari, et utriusque Regis animos, si antea unquam, vel nunc precipue ad ineundam concordiam inclinatos esse. Quos ut Optimus Maximus Deus in hoc tandem redigat, magnopere oro... Datum Posnanie, 15 Iunii, anno Domini 1535.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre servitor
Lucas Comes de Gorca, Castellanus Posnaniensis et Capitaneus Maioris Polonie Generalis.

N. 436.

*Vilnae, 30.VI.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras fidei et formulam legationis per aulicum ducis Christophorum Kreitzen (in ms. Creucz) sibi allatas esse significat: totum negotium se regi retulisse et cum episcopo Vilnensi [Ioanne e ducibus Lithuaniae] contulisse; transmittit exemplum litterarum magistri Livoniae [Hermanni a Bruggenei] et exemplum responsi regis. (Annexa desunt).*

*Sigill.*

*Cfr. reg.: A.T.XVII, 371.*

*H B A, B 2, K.359.*

## N. 437.

*Marienburgi,1.VII.1535.*

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio derivationis aquaeductus a lacu Dzierzgoń (in ms. Sorgow).*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

## N. 438.

*Vilnae, 5.VII.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux cum comitatu suo in persona veniat ad cohonestandas nuptias [Hedvigis] filiae regis [Sigismundi I], quas ipse conciliavit.*

*Sigill.*

*(Duo annexa s.d.: Novitates ex Constantinopoli et ex curia regis Ferdinandi)*

*Cfr. reg.: A.T.XVII, 390.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quid causae sit, quam ob rem Regia Maiestas Dominationem Vestram Illustrissimam ad nuptias vocare in hoc usque tempus distulerit, ex ipsius litteris Dominatio Vestra Illustrissima intelliget. Tum autem non existimavit ipsius apud Dominationem Vestram Illustrissimam alia postulatione sibi opus esse, sperans fore, ut Dominatio Vestra Illustrissima, quae hoc matrimonium conciliavit, eadem ultro ad extremum usque perficeret. Porro illud pro officio meo praetermittere non possum, quin Dominationi Vestrae Illustrissimae significem, quod ex re atque dignitate ipsius fore existimo. Non ignorat Illustrissima Dominatio Vestra nostrates homines hoc tempore admodum imbecilles esse ad obeunda hastata certamina sive hastiludia, quum propter bella, quibus assiduo exercentur, tum propter aetatem regiam, quae his non magnopere delectatur. Spes omnis palmae et laudis per hoc tempus obtinendae in Dominatione Vestra Illustrissima atque comitatu eius est. Quare cumulaverit sibi Dominatio Vestra Illustrissima vehementer gratiam regiam, si secum de suis, quos habet in iis certaminibus exercitatissimos, et omnem apparatum, quem habet instructissimum, ad nuptias adduxerit, sique a nostris partibus, uti par est, steterit. Laus vero atque gloria penes Dominationem Vestram Illustrissimam manserit. Nova, quae mihi Cracovia nuper allata sunt, ad Dominationem Vestram Illustrissimam transmitto.... Vilnae, quinta Iulii, anno Domini MDXXXV.

[a] Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis servitor
Episcopus Premisliensis manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Annexum I: Novitates ex Constantinopoli.*

Ex Constantinopoli scriptae sunt die 18 Februarii anno 1535 novitates ac Venecias perlatae. Quarum haec est summa, iuxta genuinam ex lingua Italica in Latinam translationem. Rex Persarum,[1] quum congessisset exercitum 300000 bellicosissimorum hominum, dicionem Turcae infestis armis ingressus, plerisque insignioribus civitatibus obsidione cinctis, ingentia damna patravit. Unde Turca in furorem actus et magnas animo iras concipiens, collectis 200000 peditibus et totidem equitibus, Persae obviam procedit, obfirmato animo sibi una cum exercitu aut pereundum esse aut victoria insigni potiundum, priusquam ad fugam consilia sua referre velit. Mox Persas ex civitatibus, quas interceperant, exturbatos insequitur Persiamque, magna eius Regni parte subacta, victor ingreditur. Quin et egregiam illam et antiquam civitatem Thauris, in Persia iacentem, muro et fossis non perinde communitam, in qua regii thesauri plurimum habebatur, Turcarum Imperator[2] expugnavit.

Id ubi Persae intellexissent, initum est consilium, ut dolis artibusque Thurcam opprimerent. Simulaverunt metum et desperationem et nocte quadam moverunt exercitum, in speciem fugientium cedentiumque, non paucis rebus post se relictis. Thurca de fuga nunctium laetus accipit planeque sibi persuaserat illos in fugam versos esse. Statuit victoriam ducem sequi. Nihil interim eorum oratione deterritus, qui viarum incommoda locorumque vastitatem praedicabant, adeo insequendorum hostium cupiditate animus aestuabat.

In civitate Thauris, quam pro temporis brevitate satis communiverat, reliquit thesauros suos, munitiones, tormenta, 40 concubinas cum ipsis currubus, in quibus erant ex ipsa Constantinopoli adductae, equos, qui manibus ducuntur, camelorum magnam vim; praeterea copias duorum Capitaneorum, unius ex Grecia, alterius ex Natulia, quorum uterque fuit de exercitu Imbraymbassae; ad haec 12 Sendzakii, aliter Capitaneos, cum XX millibus equitum et 3 millibus Janicerorum, quibus praefectus est Bassa de Adanna. Sequitur enim ex custodia Caesaris denique relicta. Sunt eciam reliqua impedimenta, quorum usus esse solet in exercitu. Ipse vero Caesar cum copiis suis in tribus locis Euphratem fluvium traiecit. Continuatoque itinere octo dierum per loca vasta et horrida, quum sub inicio mensis Ianuarii et hiemis rigorem, famem et multa alia incommoda pertulisset, postremo insequutus est Persas, fugam simulantes cedentesque.

Quos cum offendisset intra preruptos montes stationes suas posuisse, non procul eciam ab eodem loco castra metatus est Caesar, in cuius exercitu magna subito coorta est inedia ob commeatus penuriam, qui per tanta locorum intervalla adduci non potuit. Persae vero vallo et propugnaculis sese undequaque cinxerant, ac per vias incognitas et compendiarias 60 millia virorum ad civitatem Thauris mittunt. Qui adiuti ope, consilio atque intelligentia quorundam civium, nocte intempesta civitatem vi intercipiunt ac Thurcis omnibus, partim caesis, partim captis, ingentes illos tesauros abstulerunt.

Huius facti rumor cum in Persarum et Turcarum castris increbruisset, Persae, nihildum cunctati ac rerum feliciter gestarum nunctio alacriores redditi, Turcas armis petunt et mox in fugam vertunt. Turcas fugientes crebri fluvii excipiunt, precipue vero Euphrates, qui tum plus solito inundaverat, in quo multa equorum ac virorum millia submersa sunt. Reliqui, quibus fugiendi deerat occasio, interempti captique. Aberat tum ab exercitu triduani itineris spacio Turcarum Imperator cum suis

Bassis, Janiceris et aliis omnibus, quibus sui corporis custodia delegata est, et clade ista cognita, mox eciam ad fugam conversus est, magnis itineribus contendens ad loca munitiora. Praeibat illum semper unius diei itinere Capitaneus seu Bellerbeck de Michlaleglia cum 5000 equitibus, pontes instaurans et vias reparans. Civitates, a Thurcis fugientibus presidio destitutae, Persis in praedam exponuntur. Quicquid ibi huiusmodi reliquum fuerat, partim misere trucidatur, partim in captivitatem trahitur. A Turcis desyderantur 30 millia equitum, peditum innumerabilis turba, camelorum et aliorum animalium 24 millia, equi Caesareani, qui manibus ducuntur, incredibili sumptu magnisque thesauris ornati, 150 tormenta magna et minora 80.

Nomina occisorum Capitaneorum.

Cassin Bassa, unus ex quattuor secretioribus Caesarianis Consiliariis, Belleirbeck[a] alias Capitaneus seu Campiductor Greciae, Bellierbeck de Natulia, Bellierbeck de Egipto, Altmeples Bassa, unus ex Cancellariis Janicerorum, Szerrion Bassa, praefectus camelorum, Seggipachi, praefectus tormentorum.

Nomina Capitaneorum.

Bassa de Caesarea, Bassa de Adanna, Bassa de Bissunia, Zendzaki alias Capitanei 28 et sauciorum magnus numerus, imperatoriae concubinae 40, quas ex ipsa Constantinopoli secum eductas Thauride reliquit. Praeterea adolescentuli 20, qui precioso cultu ornati et elegantissimis equis vecti, Caesarem semper praecedere consueverunt.

a) *sequitur expunctum:* de Natulia

1) *Tahmasp I Sophi (Zophi).*

2) *Solimanus II.*

*Annexum II. Novitates ex curia regis Ferdinandi:*

Ex curia Serenissimi Regis Ferdinandi.

Lubenter Vestrae Maiestati aliquid rerum novarum communicarem, verum negocia conficiende pacis Hungaricae adeo sunt perplexa et commixta, ut credam, excepto Romanorum Rege, fundamenta rerum perpaucissimis[a] nota esse.

Uno die apud Cardinalem Tridentinum[1] ea de re tractatur per viros ad id selectos, deinde in sequenti consilio apud Regiam Maiestatem. Post haec, semotis arbitris, solus Rex ipse cum Oratoribus Ianussianis sua habet privata colloquia. Nonnumquam Monachus solus a Frangepanibus Regem adit et ad eius Maiestatis secretum colloquium admittitur, audiens[b] Suam Maiestatem confessionem.[2] Idem facit Brodericus, Quorum exemplum imitatur et Verbeczi ac subinde solus Regem convenit.

Ad haec Orator Turcae, item Orator Bassae Boznensis, uterque solus cum solo Rege privatim negocia sua transigit.

Palatinus seu Praefectus Turcarum, Budae atque in Hungaria agentium, misit huc petitum salvum conductum. Cuius adventum intra paucos dies expectamus. Expectatur et alius Orator Turcicus, qui per Bosnam iter suum arripuit.

Profectus est hinc ad Regem Ianussium ante triduum Dominus Brodericus et Verbeczi in 14 diebus redituri.

Caesarea Maiestas est in procintu expeditionis contra christiani nominis hostes, quos utinam divina ope adiutus proterat fundatque.

Persis etiam perierunt 20 millia hominum, nempe circa[c] expugnationem Tauris 15 millia et aliis in locis 5000.

Hae[d] novitates quum essent Constantinopolim perlatae, supprimebantur principio, ne in vulgus efferentur, deinde aliis atque aliis litteris passim invulgatae, ingenti maerore omnium animos affecerant, dum hic patrem, filium, fratrem, alii vero alios desyderarint. Imperatum est Bassis et Capitaneis, ut in supplementum ammissi exercitus alias instruerent copias, pararent commeatum, munitiones, camelos et alia id genus, sine quibus bellum geri non potest. Coguntur homines gestare commeatum ad certa deputata loca, unde[c] ad exercitum commodius transmitti possit. Christianis Constantinopoli agentibus magna imposita sunt tributa, quae summa cum festinatione exiguntur. Inde coniecturari licet et alios etiam christianos, sub Turca aliis in locis degentes, non parum gravatos iri, ac quanto longius absunt a Constantinopoli, tanto crudelius tributum. Oratori Venetorum Constantinopolis[z] agenti allate sunt litterae a Turcarum Imperatore, quibus ab eo postulatur, ut scriberet Dominis suis, quo iam etiam atque etiam reminiscerentur suae amiciciae longo tempore in gravissimis casibus servatae. Nunc Veneti concurrunt et conserentes capita de rebus magnis consultant. Protractae sunt ex dicto armamentario aliquot galeae cum suis munitionibus, et quantum intelligo, nonnullae alio clanculum sunt transmissae.

*In margine sup.:* translatum.

a) *vel:* quam paucissimis
b) *sequitur verbum illegibile.*
c) *lectio incerta.*
d) *in ms.* Hea
z) *sic in ms.*
1) *Bernardus a Cles.*

*N. 439.*

*Vilnae, 5.VII.1535.*

*Petrus Opaliński, castellanus Landensis, magister curiae regis iunioris, Alberto in Prussia duci*
*pro litteris gratias agit; de pugnis contra Moscoviam refert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non pridem reddite sunt mihi litere Vestre Illustrissime Dominacionis, quibus me graciosissime invisere egritudinique mee condolere dignata est. Pro qua gracia, qua me nunquam de se meritum complectitur, humilimas illi habeo gracias. Sed quibus modis id Vestre Illustrissime Dominacioni promereri debeam, non facile in animo meo consequi possum, modo illi mea humilima servicia perpetuo offero, quibus semper uti et me hic in aula loco proprii sui servitoris habere non dedignetur Vestra Illustrissima Dominacio, plurimum rogo.

Nova hic parva vel nulla sunt, de quibus Vestre Illustrissime Dominacioni pronunc scribere existimarem. Regia Maiestas hinc iam parat discessum infra hos sequentes sedecim dies, ea tamen lege, quod hic promptissime econtra redire pollicetur. De exercitu nostro nihil aduc

novi est, modo eum fines Moschorum attigisse dicitur. Dominus Pyenko, Prefectus Kyoviensis, his diebus prostravit 300 Moschorum. Alia pronunc non sunt nova. Si que tandem emerserint, faciam Vestram Illustrissimam Dominacionem quam primum cerciorem... Datum Vilne, 5 Iulii, anno Domini 1535.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis humilis servitor

Petrus Opalenski Curie Magister Regie Maiestatis etc.

*N. 440.*

*Vilnae, 7.VII.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras regis Sueciae a se regi [Sigismundo I] lectas esse, responsum regis [Gustavi I] se duci transmittere nuntiat.*

*Sigill.*

*Reg in.: A.T.XVII, 397.*

*(Annexum, de quibus in litteris, deest)*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 441*

*Varsaviae, 14.VII.1535.*

*Petrus Gamrat, episcopus Camenecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*conqueritur contra praefectum de Szczytno pro Marco Kołak, qui ab eo omnibus rebus suis privatus est.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nobilis Marcus Kolak, subditus Sacre Maiestatis Regie et opidi Przasnis incola, questus est coram me contra Prefectum arcis Scithno Vestre Celsitudinis, quod cum idem Marcus arcem predictam cum rebus suis preteriret, ipse Prefectus arcis omnibus rebus eum privavit, hanc causam pretendens, quod in Ducatu Masoviae nescio quitpiam[z)] preter sentenciam eius cum subdito ipsius actum sit. Et non ignorat Celsitudo Vestra, quemadmodum inter Ducatum Vestre Celsitudinis et provintias Regie Maiestatis transactum sit, quod huiusmodi repressiones iniuriarum fieri nunquam debuerunt. Sed si quis subditorum aliqua iniuria in altera parte opprimeretur, requiri Prefectus loci illius, in quo talis iniuria illata est, debet. Qui si iusticiam administrare neglexerit, delatus summo Principi, vel Sue Celsitudinis in provintia vicesgerenti, mulcta centum florenorum puniri debet.

Iste autem Prefectus Vestre Celsitudinis arcis predicte, iam sepius per Dominum Capitaneum Ciechanoviensem requisitus, ut homini regio res ablatas restitueret, huiusmodi admonicione et requisicione Capitanei Regie Maiestatis neglecta, res ablatas hactenus retinet. Quem ego Vestre

Celsitudini pro contemtu federum et transactionum puniendum defferro,[z] et nichilominus pro homine isto, prefato Marco, subdito Regie Maiestatis, rogo, ut res ipsius parum iuste ablatas restituere eidem Prefecto suo mandet, ne ipse pauper videatur indigne puniri, cum nihil tale deliquit, quapropter veniret rebus suis privandus. Quod Vestram Celsitudinem, pro illius innata virtute et transactionum atque federum cum Regia Maiestate pactorum conservacione, facturam non dubito... Varsovie, XIIIIa Iulii, anno Domini MDXXXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
capellanus
Episcopus Camenecensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

*N. 442.*

*Wasyliszki, 22.VII.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*novitates de victoriis regis Daniae [Christiani III] a duce missas se regi [Sigismundo I] tradidisse nuntiat; de negotio lacus Dzierzgoń (in ms. Sorgaw); de locatione lacus Drużno (in ms. Drausen), quem rex nemini locare vult, priusquam locatio Elbingensibus facta finem habeat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 424.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 443.*

*Poltoviae, 2.VIII.1535.*

*Andreas Krzycki, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de profugis iudici Ciechanoviensi restituendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 444.*

*Vilnae, 12.VIII.1535.*

*Iacobus Brzozowicz, aulicus regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro annuo stipendio sibi numerato (Jahrgeld) gratias agit.*

*(Polonice; adest versio germanica)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

N. 445.

*Cracoviae, 26.IX.1535.*

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*

*Ioanni a Werden, a duce sibi commendato, se omni studio suo adfuturum esse scribit, difficile tamen fore existimat ob adversam valetudinem suam regem videre.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quo spectata mihi magis est et probata gratia et benevolencia singularis in me Illustrissimae Dominationis Vestrae, hoc minus dubito, quin ita, ut scribit, prosperam valetudinem ex animo mihi precetur. Quo quidem nomine ingentes ago Illustrissimae Dominationi Vestrae gratias et fore confido, ut utriusque nostrum desiderio Christus annuat. Videtur enim aliquanto meliore loco esse iam valetudo mea, quam fuit, cum presens hic adesset Illustrissima Dominatio Vestra. Sed hec in Dei manu sunt, qui eos, qui in clementia sua et misericordia spem omnem positam habent et defixam, nunquam destituere consuevit. Cuius beneficio ubi fuero, ut spero, ex gravibus istis morbis recreatus, dabo operam, ut ex me confirmato fructum aliquem Illustrissima Dominatio Vestra capere possit. Omne studium meum illi dicabo. Si qua mihi potestas data fuerit ei inserviendi, eam ita cupide et libenter accipiam, ut eum diem inprimis hilarem sim sumpturus, quo se occasio aliqua obtulerit aliquo servitutis meae genere uberiorem illius gratiam mihi demerendi.

Dominus Ioannes a Verden iam olim in paucis mihi charus est. Multa enim constant eius in me non vulgaria officia, ferreus ut essem futurus, nisi eum, quem tam suaviter in me effusum esse video, mutua benevolentia prosequerer. Itaque cum antea semper eum amavi plurimum, tum hac Illustrissimae Dominationis Vestrae commendatione ad pristinum meum amorem ingens cumulus accessit. Magnam autem ex eo voluptatem capio, quod meum iudicium iudicio Illustrissimae Dominationis Vestrae video comprobari. Semper enim talem esse Dominum Ioannem a Verden iudicavi, qualis ab illa describitur. Neque prudens occasionem ullam ornandi illius et adiuvandi pretermisi. Nunc quoque, si racionem aliquam invenire possem, qua hoc, quod illius nomine postulat Illustrissima Dominatio Vestra, apud Regiam Maiestatem impetrari posset, nichil est, quod facere vellem libentius. Nam et Illustrissimae Dominationis Vestrae desyderio lubens pro eo, atque debeo, satisfacerem et illum virum bonum, bene de me meritum, valde cuperem adiutum, ut voti sui compos effici posset.

Sed ego, qui sensum Regiae Maiestatis tenere mihi iam videor, difficile esse video hoc, quod volumus, obtinere. Si per adversam valetudinem meam liceret domo mihi egredi et cum Regia Maiestate coram colloqui, utcumque sciam nichil eam facere magis invitam, quam ut bonorum suorum hereditatem alicui concedat, aut iure faeudi ea possideri permittat, precipue cum per constituciones quoque Regni hoc ei facere non liceat, nisi de consensu et voluntate omnium Regni Ordinum, periclitarer tamen animum illius nichilque non facerem, modo Illustrissimae Dominationis

Vestrae postulatis satisfacerem. Sed quando Deus precisam mihi esse voluit hoc tempore Regiam Maiestatem videndi facultatem, necessario mihi supersedendum atque in id tempus totum hoc negocium reiiciendum est, quo me afflictum et castigatum in gratiam suam recipere et, qua tam longo tempore carui, pristinam illam bonam valetudinem restituere mihi Deus dignabitur. Cuius ubi compos illius benignitate et misericordia factus fuero, equidem nullum non movebo lapidem, ut mandata Illustrissimae Dominationis Vestrae exhauriam et, si fieri possit, bono illi viro, quod petit, confectum dem. Quo et Illustrissima Dominatio Vestra cognoscat, quanto studio quantaque cum animi mei alacritate morem illi gerere atque inservire cupiam, et Dominus quoque Ioannes a Verden intelligat se apud gratum et memorem officia sua collocasse...

Datum Cracoviae, die XXVI Septembris, anno Domini MDXXXV.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
deditissimus
[a] servitor Petrus Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 446.*

*Cracoviae, 26.IX.1535.*

*Petrus Tomicki et Ioannes Chojeński, Cracoviensis et Premisliensis episcopi,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis de moliminibus Cruciferorum, delectum militum facientium, se accepisse significant; ea de re regem [Sigismundum I] ipsum acturum in Comitiis Elbingae indictis; pro vigilantia et sollicitudine ducis gratias agunt; de Moschorum conaminibus referunt.*

*2 sigilla.*

*(Adest versio germanica)*

*Iam ed.: A.T.XVII, 489.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 447.*

*Cracoviae, 27.IX.1535.*

*Stanislaus Odrowąż, castellanus Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro salutationibus, per Gabrielem Tarło allatis, gratias agit; falcogerulum cum duobus falconibus duci mittit; de retardato regis Sigismundi I Cracovia discessu refert; de sua primum ad Comitia Petricoviam, deinde in Masoviam et Lithuaniam profectione.*

*Vest. sigilli.*

*Cfr. reg. A.T.XVII, 490.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 448.*

*Cracoviae, 1.X.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de limitibus inspiciendis et determinandis; de libera accessione ad urbem Gedanensem Petro Knoth permissa.*

*Vest. sigilli.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 505.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 449.*

*Maciejowice, 15.X.1535.*

*Casparus Maciejowski, dapifer terrae Sandomiriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benignitate filio suo unico exhibita gratias agit eumque iterum duci commendat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.359.*

*N. 450.*

*Posnaniae, 31.X.1535.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis et capitaneus Maioris Poloniae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de archiepiscopatu et episcopatibus a rege [Sigismundo I] collatis; de sua in palatinum et filii sui [Andreae] in castellanum Posnanienses nominatione; de quadam oppositione contra promotionem Ioannis Chojeński.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Offerente se eo tabellario, volui hisce meis Vestram Illustrissimam Dominacionem invisere. Cuius Illustrissime Dominacioni, suis denique omnibus, precor fausta foeliciaque omnia a Domino Deo. Me eciam et servicia mea presentibus facio Vestre Illustrissime Dominacioni commendata. Scire cupio Vestram Illustrissimam Dominacionem Sacram Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, die tercia presentis mensis contulisse Archiepiscopatum Gnesnensem Reverendissimo Domino Crzyczky, tunc Plocensi Episcopo, Reverendissimo autem Domino Choyensky contulisse Plocensem Episcopatum, Premisliensem vero Episcopatum contulisse Reverendissimo Domino Camenecensi Episcopo.[1] Sua eciam Maiestas Sacra me Palatinatu et filium meum Castellania Posnaniensi motu proprio decorare dignata est. Homo quidam multum et instanter instabat, ut Plocensis Episcopatus Reverendissimo Domino Choienski non cessisset. Sed Sua Sacra Maiestas nonnullis suadentibus

nequaquam rei tam indignae voluit assentire, quo multis Sua Maiestas gratificata est. Hec sunt, que pro perpetua mea erga Vestram Illustrissimam Dominacionem observancia significare volui... Posnaniae, ultima Octobris 1535.

Vestre Illustrissime Dominacionis
addictissimus servitor
Lucas Comes a Gorca Palatinus Posnaniensis et Capitaneus Maioris Poloniae
Generalis.

1) *Petrus Gamrat.*

## *N. 451.*

*Nowe Miasto, 5.XI.1535.*

*Bartholomaeus Nowomiejski*
*Alberto in Prussia duci*
*petit intercessionem ducis apud Andream Krzycki, archiepiscopum Gnesnensem, ut praefecturam clavis Skierniewicensis obtinere possit.*
*Sine sigillo.*
*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime ac Prestantissime Princeps *etc.*

Non est michi incognitum, Illustrissime et Amplissime Princeps, quam graciam et summam beneﬃcenciam erga me, tametsi immeritum, habuerit exhibueritque dignetur[z] propenso et gratissimo animo, et nedum erga me unicum, verum eciam erga plurimos Polonice nacionis homines, quos sibi pro voto cognoverit. Et quidem facit hoc Vestra Illustrissima et Amplissima Celsitudo ex innata et genuina[a] virtute, que palam apud omnes et claret et perspectissima est.

Proinde et ego, Princeps Illustrissime, Domine et Domine michi Colendissime, indebita[b] ductus amplissima gracia, visum est consonum Vestram Amplissimam Celsitudinem imprecare, et obnixe oro et quibus possum precibus oro, dignetur Vestra Amplissima Celsitudo ex sua singulari gracia Reverendissimo in Cristo Patri et Domino, Domino Andree Cricio, Sancte Gnesnensis Ecclesie Metropolitanee noviter electo Pontifici, Vestre Amplissime Dominacionis non vulgari amico, me obsequiaque mea comendare et benignam intercessionem ad Suam Reverendissimam Dominacionem facere, uti prefecturam clavis Squyernyoviensis ex Sue Reverendissime Paternitatis gracia habere possem. Quod facile consequar, si Vestra Illustrissima Dominacio suam benignam intercessionem porrigere dignabitur. Et ego omnibus modis pro mea virili Vestre Illustrissime Dominacioni studebo promereri, Domino meo clementissimo et patrono. Bonaque illa, si ad meam venerint curam et disposicionem, accurate defendere, commoditatem Domino Archipresuli efficere ceteraque debita officia et obsequia facere, uti et bonum et virtuosum hominem decebit, promitto et polliceor. Et non dubito Vestram Illustrissimam Dominacionem in hoc negocio benignum patrocinium michi impartiri... Ex Nowemyastho, scripte quinta Novembris, anno a virgineo partu 1535.

Vestre Illustrissime Celsitudini deditissimus servitor
Bartholomeus a Nowemyastho
perpetuum mancipium subscripsit.

a) *in ms.* genina
b) *lectio incerta.*
z) *sic in ms.*

## *N. 452.*

*Sandomiriae, 12.XI.1535.*

*Ioannes Tarnowski, palatinus Cracoviensis et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia sua offert; pauca indicat de rebus bellicis in Moscovia gestis.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 549.*

*H B A, B 2, K.359.*

## *N. 453.*

*Vilnae, 16.XI.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de bello Moscovitico et de rebus in Moscovia gestis; de strage apud arcem Starodub edita et de ipsa arce a Polonis expugnata et devastata; de negotio locationis lacus Drużno (Drausen).*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 558.*

*H B A, B 2, K.359.*

## *N. 454.*

*Vilnae, 17.XI.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de rege Sueciae [Gustavo I]; de pago Koadiuty (Coadiuten) vel Koczyce; de limitibus inspiciendis.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 559.*

*H B A, B 2, K.359.*

## *N. 455.*

*Vilnae, 18.XI.1535.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Wojnicensis, reginae Poloniae curiae magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*Benedictum, pennarum magistrum (in dorso: Federmacher), commendat et petit illum ex carcere liberari.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

## N. 456.

*Vilnae, 19.XI.1535.*

*Andreas a Górka, castellanus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de suo felici ex bello Moscovitico reditu; de patris sui* [*Lucae*] *in palatinum Posnaniensem et sua ipsius in castellanum Posnaniensem et capitaneum Maioris Poloniae generalem nominatione.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum oportunus oblatus esset mihi nunctius, committere nolui, quin per litteras felicem Vestre Illustrissime Dominationis valetudinem inviserem, simul et de meo prospero ex Moscovia reditu eandem cerciorem redderem. De belli acti ratione non est, quod Vestre Illustrissime Dominationi scribam, nam non dubito Vestram Illustrissimam Dominationem omnia iam pridem exacte intellexisse.

Sacra Regia Maiestas, dato Palatinatu Posnaniensi Magnifico Domino parenti meo, mihi Castellanatum Posnaniensem et Capitaneatum Maioris Polonie Generalem pro sua regia gratia concessit. Id, quod eo Vestram Illustrissimam Dominationm celare nolui, ut intelligeret me in ea novi honoris actessione tam libenter atque ex animo eidem Vestre Illustrissime Dominationi serviturum, quam semper alias servire fuerim solitus...

Ex Vilna, decima nona die Novembris, anno Domini MDXXXV.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae servitor
Andreas Comes a Gorka etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

## N. 457.

*Dunajec, 6.XII.1535.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de die et loco constituendo ad componendam controversiam inter Georgium Vitzthum et Nicolaum Minkwitz.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 577.*

*H B A, B 2, K.359.*

## N. 458.

*Dunajec, 6.XII.1535.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Oppel Vitzthum commendat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.359.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Tanta est Vestre Illustrissime Dominacionis virtus bonitasque et humanitas, ut quocies contingat aliquem ad illam ceu ad asyllum recur-

rere, nemo adhuc inventus sit, qui non clementer et benigne fuerit receptus. Unde accidit, quod Vestram Illustrissimam Dominacionem amatorem nobilitatis omnes uno ore decanant. Ea itaque Vestre Illustrissime Dominacionis virtute et humanitate fisus, Generosus Dominus Oppel Fyczthum se resque suas, magis malicia hominum quam alia ulla sorte afflictas, Vestre Illustrissime Dominacioni comendat. Optat, ut fiat addictissimus Vestre Illustrissime Dominacionis servitor. Quem ego ita Vestre Illustrissime Dominacioni comendo, ut nec ipsum maiori fide et diligencia comendare possem. Scio enim huius viri imprimis insimulati criminis innocentiam, tum deinde preclaras animi corporisque dotes atque eam industriam, que profecto non oberit rebus Vestre Illustrissime Dominacionis, si operam suam in quacumque re explorare dignabitur. Quem ipse, si condicio mea id ferre posset, semper ad latus habere vellem, sed non licet id mihi propter Principum odium, qui mihi leviter obesse possent, modo occasionem habeant etc... Datum in Dunayecz, 6 die Decembris, anno 1535.

Hieronym z Laska etc. manu propria subscripsit.

*N. 459.*

*Vilnae, 31.XII.1535.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de lacu Drużno (Drausen); de negotio regis Sueciae [Gustavi I]; de bonis Koadiuty vel Koczyce (Coadiuten); de pagis noviter institutis et de colonis transfugis; de limitibus inter Ducatus Masoviae, Prussiae et Lithuaniae; de negotio Ioannis a Werden; de morte episcopi Cracoviensis [Petri Tomicki]; pro intercessione ducis apud regem [Sigismundum I] in negotio nominationis ad episcopatum Cracoviensem et ad cancellariatum gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed.: A.T.XVII, 594.*

*H B A, B 2, K.359.*

# 1536

*N. 460.*

*Vilnae, 1.I.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, magister curiae reginalis, Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia gratias agit; nuntiat de expectata incursione Moscorum in Lithuaniam et de parata contra eos defensione.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ingentes ago Vestrae Illustrissimae Dominationi et habeo gratias pro ea immensa et inestimabili gratia, qua me, fidelem servitorem suum, complecti dignatur, me litteris Celsitudinis Vestre Illustrissime inter alios servitores suos non posthabendo. Hanc vero gratiam, quam Celsitudo Vestra Benedicto, subdito Suae Celsitudinis, exhibere dignata est, obsequiis meis perpetuis mereri studebo etiam et referre, si Illustrissima Dominatio Vestra mandaret et mea fortuna suggereret facultatem.

In rebus novis nunc propemodum habui nihil preter hoc, quod hic habetur delectus contra Moschos, quos fama est iam adornare excursionem in Lithuaniam. De quo intelligo, alii servitores, qui hic libenter serviunt Vestre Celsitudini, pluribus de iis ad Illustrissimam Dominationem Vestram perscripserunt... Datum Vilne, ipsis feriis Circumcisionis Domini, anno a Natali Christiano 1536.

[a)] Nicolaus Volsky, Castellanus Sandomiriensis,
Magister Curiae manu propria obsequentissimus.[b)]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 461.*

*Vilnae, 1.I.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis, Alberto in Prussia duci*
*felicem Annum Novum duci auspicatur; de controversiis inter praefectos ducis et praefectum Iurborgensem, maxime propter transfugas ultro citroque commigrantes, componendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

N. 462.

*Łowicz, 1.I.1536.*

*Andreas Krzycki, archiepiscopus Gnesnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de defensione contra Valachos et Tartaros in Comitiis consultata; de negotio electoris [Ioachimi], marchionis Brandenburgensis; de regundis limitibus; de negotio Ioannis a Werden; de nulla re in Comitiis adversus ducem vel acta vel dicta.*
*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi ab hoc puero literas Illustrissime Dominationis Vestre, quibus alias quasdam literas gratulatorias, quas non habui, commemorans, iterum mihi de provectione mea gratulari dignetur. Ego vero, qui non possum non fateri Vestram Illustrissimam Dominationem plus fuisse sollicitam de ipsa provectione mea, quam me ipsum, et facile credo eam illi gratam esse et me illi ob hoc plurimum debere profiteor, atque huius debiti mei polliceor me neque immemorem futurum, neque ullam occasionem pretermissurum, qua unquam eam gratiam et benivolentiam Illustrissime Dominationis Vestre meis obsequiis referre potero.

Conventum generalem nostrum breviter absolvimus. Non enim de alio, quam de defensione adversus Valachum et Tartaros erat consultacio. Cum vero nunctiis terrarum visa esset cercior et firmior defensio per generalem bellicam expedicionem, quam per mercenarium militem, ea decreta solutus est Conventus. Quam an Maiestas Regia exequi volet, ignoramus. Misit enim nunc Valachus ad Maiestatem Suam petitum Commissarios ad pacem tractandam.

De negocio Illustrissimi Principis Ellectoris, generi Maiestatis Regie, fuit quidem in consultacionem nobis a Maiestate Sua propositum, cum magna animorum nostrorum, qui eius Illustrissime Dominationi plurimum debemus, propensione. Tamen quia non consueverunt nostri negocia tanti momenti absque presentia regia determinare, visum fuit omnibus rem ad eius Maiestatis reditum differre.[a] Ego non dubito, quin res citra difficultatem pro voto nostro succedat. Qua in re nihil deerit cure et diligentie mee et aliorum Dominorum, quos cognosco Illustrissimis Dominationibus Vestris valde faventes, et presertim cum res cessura sit in regiam Regnique et tocius Reipublice Christiane utilitatem.

De regundis inspiciundisque limitibus et negocio Domini Ioannis Werden quia nihil in commissis habuimus a Maiestate Regia, nihil est etiam a nobis tractatum. Verum tamen si litere Illustrissime Dominationis Vestre invenissent nos in Conventu, fecissemus libenter in utroque negocio id, quod Illustrissima Dominatio Vestra postulat.

Quod autem veretur Illustrissima Dominatio Vestra, ne qui essent, qui molirentur vel loquerentur aliquid adversus Illustrissimam Dominationem Vestram, tales ego profecto nullos scio, neque quicquam est in Conventu vel actum vel dictum ab aliquo, nisi recte et cum dignitate Illustrissime Dominationis Vestre. Et si qui fuissent, qui illam in aliquo

suggillare voluissent, ego et alii Domini, qui eam observamus, non pretermisissemus in respondendo officium nostrum...

Ex Lowicz, die prima Ianuarii, anno Domini MDXXXVI.

[b] Vestre Illustrissime Dominationis
Andreas Archiepiscopus Gneznensis
subscripsit.[c]

a) *in ms.* differe
b)-c) *manu propria.*

*Schedula adiuncta:*

Post scriptas literas reddite sunt mihi litere Illustrissime Dominationis Vestre prioris date, quibus mihi quosdam ad prefecturam bonorum commendare dignetur, que ego iam aliis gubernanda commiseram, illosque eiicere, presertim necessarios et benemeritos, non videbatur ipsismet honestum, quos Illustrissima Dominatio Vestra commendavit. Curabo tamen per omnem occasionem aliam eis gratificari, ut cognoscant Illustrissime Dominationis Vestre commendationem non vulgaris apud me, ut decet, ponderis extitisse. Cui me iterum plurimum commendo.*)

*) *Cfr. N. 451.*

*N. 463.*

*Łowicz, 3.I.1536.*

*Stanislaus Łaski, castellanus Przemętensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia et servitia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 464.*

*Sochaczew, 4.I.1536.*

*Stanislaus Odrowąż, palatinus Belsensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de suo futuro cum ducissa Masoviae* [*Anna*] *matrimonio; de negotio feudi Ioachimi electoris Brandenburgensis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Reddite sunt mihi bine a Illustrissima Vestra Celsitudine littere, quibus quantum voluptatis conceperim vel me silente Illustrissima Vestra Celsitudo facile augurari dignabitur, cum nil fere aliud in se habeant nisi clementis eiusdem in me gratie notulas, qua me nil tale[a] de se meritum[b] prosequi dignatur. Pre ceteris autem hoc unum ingens eius

in me clementie vestigium video. Cum de Illustri Domina Mazowie Duce mihi significat, id Illustrissimam Vestram Celsitudinem tam suadere quam optare, quod si volet Dominus Deus, futurum spero. Pro qua Vestre Illustrissime Celsitudinis ingenua clementia immortales ago habeoque gratias. Qua de re ut Illustrissima Vestra Celsitudo non sit ignara, hec significo: Sum fueroque eius equidem animi, si volet Deus, cum bona Principum meorum gratia, ut Illustris Domina Mazowie Dux mihi locetur coniugio, non postremumque hoc felicitatits simbolum putaro. Sed cum necdum lugubris funestique mei temporis preterierint termini post amatissimam illam priorem emortuam, ne vulgo dispar esse videar, in tempus illud protrahere est menti. Interim ad Serenissimos Principes meos Lythwaniam devolabo, visa mox Illustri Domina Duce, compositurus cum eorum Maiestatibus, ubi si Maiestates Principum nostrorum mihi se faciles clementesque obtulerint, id agam, quod placuerit Deo meo. Verum antehac cogor Lythvaniamque tam publicis, quam amicorum, quam meis quoque negotiis divertere subserviturus. Inde si quid vel difficultatis vel more in Principibus animadvertero, mox ad operam et consilium precesque Illustrissime Vestre Celsitudinis confugiam, de qua tantam mihi concepi spem, ut cupiam Celsitudini Vestre omnibus nominibus devinctus fore et comendatus.

Quod autem secundas eius attinet litteras Celsitudinis, brevibus respondeo, quantum res negotiique magnitudo passa est. Cum primum in Senatu de iungendo feudo Illustrissimo Domino Electori agebatur, talem me prestiti, qualem fidum probumque decet Consiliarium, eamque suadebam ipsam rem, quum tam Cristiane quam Publice nostre Rei profutura visa est. Verum cum plerisque ad Sacre Maiestatis Regie felicem presentiam differri placuit, uti rem non levem adeo, sed seriam, aquievimus facile. Ceterum, quod in me erat, omnia ut digna pulchraque tulissem lubenter, precipue cum hoc ipsum Celsitudini Vestre non displicere compertum sit, in cuius ego gratiam, quidquid me deceat, facerem perpetuo. Cum his me Celsitudini Vestre Illustrissime servitiaque mea humillime comendo, aliis brevi ex Lythwania invisurus... Datum Sochaczewie, 4 Ianuarii 1536.

[c)] Eiusdem Vestre Illustrissime Celsitudinis
addictissimus ac perpetuus servitor
Stanislaus Odrovaz etc. manu propria.[d)]

a) *in ms.* tali
b) *in ms.* meritam
c)-d) *manu propria.*

*N. 465.*

*Vilnae, 9.I.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ex litteris Nicolai Nibschitz ducem edoctum iri scribit, quid rex [Sigismundus I] ad res ab eodem Nibschitz relatas responderit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

## *N. 466.*

*Vilnae, 17.I.1536.*

*Stanislaus Łaski, castellanus Przemętensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de studio suo erga ducem; ob tardiorem ad litteras ducis responsionem se excusat; de re Ioachimi Brandenburgensis in Comitiis in Koło acta; rogat, ut dux rem regis vigilanter agat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ab illo, quo ex Regio Monte abscessi tempore, laboravi indies, quod honoris[z] usuique Illustris Vestre Celsitudinis fore arbitrabar aput ceteros omnes, fratre meo Syradyensi Palatino exempto. Cuius mihi nulla usque data erat copia, ne in Dieta quidem nostra Colensy (preter spem hercle meam) nuperrime habita, cui certo certius interfuturus erat.

Itaque Celsitudo Vestra dabit veniam mihi, dum tardiuscule responsum datur. Mox enim me a Dieta Lythwaniam visurus Principes meos proripui. Eo sane animo, ut in reditu Celsitudini Vestre non litteris, at ore, facerem satis. Eo factum est, quod nil litterarum a me datum sit. Nunc, cum me Principes mei aliud agere iubeant, officii putabam mei participatis respondere.

Primum pro debito cum Strosbergensi e longinquo transegi rem. Qui alium sese prestaturum iurare ausus est, dignitatis ac gratie Celsitudinis Vestre dignam aput se rationem habiturum pollicitus est, et brevi re id monstraturum.

Illud autem Domini Electoris[1] negotium in Dieta nostra Colensy nullo nomine nec memoria preteriit. Exhibuissem me alioquin eum, qui haberi a Celsitudine Vestra exopto.

Dominum autem Pallatinum, fratrem meum,[2] cum presens interpellare nequivi, iamque videlicet quasi aligenum a rebus illis et alia molientem intellexi, silentio satius preterire volui, quam nullo commodo aut gravitate scriptis luderem.

Penitet me nil cum Domino Ioan Benns, quem hic Oratorem unita saltem hora reperi, contulisse. Eo nempe die, quo ille abscessit, Vylnam appuli. Interfui tamen aput Regem meum, dum de eo expediendo in Senatu agebatur. Cumque recensuissem sentencias, quidquid ex me erat exhibui.

Agat Celsitudo Vestra rem Serenissimi Regis, affinis sui, sedulo et vigilanter, tum aput ceteros omnes, tum nos quoque ipsos, ne nobis ipsi deesse videamur...

Vylne, die Anthonyny, 1536.

Eiusdem Celsitudinis Vestre addictissimus.

Stanislaus de Lasko miles et consiliarius

z) *sic in ms.*
1) *Ioachimus Brandenburgensis.*
2) *Hieronymus, pal. Siradiensis.*

N. 467.

*Vilnae, 1.III.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, magister curiae reginae Poloniae,*

*Alberto in Prussia duci*

*de finibus inter Lithuaniam et Ducatum Prussiae; de colonis Prutenis et Samogitiensibus; de querelis reginae Bonae contra notarium et advocatum Insterburgensem; de proceribus Moscovitis captis; de bombardis conficiendis; de redimendis armis ab artificibus Regiomontanis renovatis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae sunt mihi litterae Illustrissime Dominationis Vestrae, scripte in Monte Regio ad XVIII diem mensis Februarii, ex quibus intellexi Illustrissime Dominationi Vestre non placere, quia Sacra Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, negotium hoc limitum cum Illustrissima Dominatione Vestra transigendorum in aliud tempus proferre dignata fuerit. Quam quidem dilationem ait Illustrissima Dominatio Vestra tam Maiestatis Sue Regie, quam etiam Illustrissime Dominationis Vestre subditis, maiora incommoda allaturam. Loquutus sum de hac re cum Maiestate Sua Regia et recensui id, quod mihi fusius scribere Illustrissima Dominatio Vestra voluit. Verum Maiestas Sua mihi respondere dignata est dilationem illam limitum sequutam esse ex multis et arduis rationibus, ob quas Maiestas Sua coacta est negotium hoc reicere in aliud commodius et liberius tempus, ut alias Illustrissima Dominatio Vestra solita sua prudencia optime causas eas metiri et intelligere poterit, quia Maiestas Sua una cum toto hoc Senatu, toto hoc tempore dum hic esset, non vacavit a curis bellicis. Mandavit denique mihi Maiestas Sua Regia relationem negotii huiusmodi limitum Sacrae Reginali Maiestati, Dominae et Principi meae clementissimae, facere. Cuius Maiestas ait contenta fuisse, quo negotium hoc limitum possit ex aequo componi, si hoc liberius tempus ferre potuisset, utque libenter videret, quo in bona pace et vicinitate subditi dominiorum istorum secum commanerent. Rettulitque mihi Maiestas Sua Reginalis, quia factor Maiestatis Suae ex Iurbork, bonis Samogitiensibus, scripsisse debuerit, quia dum non pridem descendisset ex mandato Maiestatis Suae in pagum illum Koczicze, qui inter Maiestatem Suam et Illustrissimam Dominationem Vestram repositus est, in certum sequestri statum, invenisse debuerit quattuor colonos Prutenos, qui colonos illos antiquos Samogitas, diu illic incolentes, extrudere et ipsorum domicilia et agros occupare et vendicare sibi contra pacta sequestri non erubuerat. Inde illi rursus antiqui coloni Samogitae cum mutuo illo factore illius villae restituti sunt in priores sitas mansiones et domicilia novique abinde ammoti.

Deinde idem factor Maiestatis Suae Iorborgiensis scripsit Maiestati Suae Reginali, quod Illustrissime Dominationis Vestre subditi Istruerensis [z)] districtus, videlicet notarius cum advocato, veniens ultra fluvium vulgari nomine nuncupatum Lepuna, et qui fluvius divideret Samogitiam cum Ducatu Prussiae Illustrissimae Dominationis Vestre, ubi idem factor Maiestatis Suae Reginalis, de mandato et commissione eiusdem Maiestatis, ceperat locare homines. Unius hominis iam ibidem locati in fundo Samogitiensi gasam cum tota suppellectili et rebus mobilibus exusse-

runt et nonnihil peccuniarum, equos et pecora sibi abstulerunt, non requisito prius pro administranda iusticia illo factore Reginalis Maiestatis. De qua re et violenta invasione huiusmodi idem factor Maiestatis Suae Reginalis de Iurborg primum apud ipsum notarium Illustrissime Dominationis Vestre Istrucensem, deinde apud Capitaneum Ragnethensem, cum expostulaverit, negotium hoc iniuriae ad Illustrissimam Dominationem Vestram per ipsos factores referri debuerit, tamen hactenus nulla sequuta est eius rei administratio iusticiae. Que quidem iniuria, ut intelligere potui, Maiestati Sue Reginali displicere videtur. Ideo volui hec ad scienciam Illustrissime Dominationis Vestre referre, ut qui libenter videre cuperem, quod negotia eius omnia ex sentencia eidem Illustrissime Dominationi Vestre sequerentur et pax ac vicinitas optima utrinque inter subditos Maiestatis Suae Reginalis et Illustrissime Dominationis Vestre coleretur et observetur, factoresque illos suos Illustrissima Dominatio Vestra continere dignaretur ab huiusmodi irrogandis iniuriis. Fieri enim potest, ut illi, preter mentem Illustrissime Dominationis Vestre, hoc attemptare quandoque non verentur, quod a bona vicinitate et mutua pace esset alienum.

Certo vero scribere possum Illustrissime Dominationi Vestre, quia Maiestas Sua Reginalis commiserat illi factori suo de Iurbork, ut habita mutua intelligencia cum finitimis factoribus Illustrissime Dominationis Vestre, descenderet una cum illis et de mutuis iniuriis utrinque subditis cognitionem et exequutionem iusticiae debite faceret, persuasum habens, quod vicissim Illustrissima Dominatio Vestra suis factoribus hoc idem iniungere debuerit. Hoc enim modo pacis et vicinitatis bone federa inter subditos manutenerentur. Non dubito igitur Illustrissimam Dominationem Vestram eius rei habituram rationem debitam, et adiciet animum, quo ea omnia in bono fine constituerentur. Nihil enim, ut scribo, pro mea in Illustrissimam Dominationem Vestram animi devotione magis optarem, quam ut res Illustrissime Dominationis Vestre ex sentencia et amore mutuo Principum transigerentur.

Scripsit mihi preterea Illustrissima Dominatio Vestra, ut novitates de captivis, de proceribus Moscis, perstringerem, quod lubens fatio. Capti erant in eversione arcis Starydub inter ceteros omnes tres primi et precipui Ducis Moschovitici proceres, inter quos primus Dux Suysensis,[z] vir admirabiili sagacitate et in rebus bellicis peragendis clarus, cuius industria et ingenio arx tam constanter et strenue tutabatur. Huic cum ingenii promptitudine, tum animi dexteritate ab omnibus palma dabatur. Is in hoc Lithuaniae Ducatu hactenus captivitatem patitur et sustinet. Alter erat eiusdem arcis Prefectus, cognomento Owczina,[1] homo promptissimo ingenio et indicibili, qua in responsis utitur, audacia. Is seniorem fratrem apud ipsam Ducem Moschorum, ut passim spargitur, in magna gratia triumphantem habet, qui in custodiam Magnifico Domino Vilnensi Castellano[2] a Sacra Maiestate Regia commissus et traditus est. Cui, posteaquam proprium nunctium in Moschoviam, cum consensu et voluntate Dominorum Campiductorum, miserat, per eundem ampla satis et abundantissima a Duce Moschorum[3] allata sunt munera, videlicet in auro, pelliceis pretiosis vestibus, falconibus et molossis, quorum partem pro arbitrio suo inter Lithuaniae proceres distribuit, partem in suam necessitatem et usum convertit, et licet nullam in vinculis patitur captivitatem, sedulam tamen et perpetuam super se habet custodiam. Tertius traditus erat Domino Andreae[4] Posnaniensi iuniori, apud quem, ut audio, in itinere egritudine correptus interiit.

Ceterum cum iturus erat ad Illustrissimam Dominationem Vestram Dominus Nipsich, cum quo mihi ingens intercessit amicicia, eum rogaveram, ut nonnihil meo nomine apud Illustrissimam Dominationem Vestram ageret et impetraret. Posteaquam autem ex itinere reversus est, non visa Illustrissima Dominatione Vestra, eandem magnopere rogo, ut benigno animo atque clementer consentire dignaretur suo bombardarum magistro, quem, ut asserunt, Illustrissima Dominatio Vestra bonum et certum expertumque artificem habet, ut absque omni incommoditate Illustrissime Dominationis Vestre mihi, meis privatis sumptibus, serpentinas ferreas decem aut duodecim conficere possit et fabricare, que ad longitudinem in ferro, absque ligneo reservaculo, duarum ulnarum essent, et ut singule binas pulveris tecas sive orgastula circa se haberent. Emi enim non pridem arcem in Podolia,[5] Tartaris et Moldavis finitimam, ubi non ex aliis bombardis potior fieri potest defensio, saltim ex serpentinis propter earundem mittendorum globulorum promptitudinem. Eam autem clementiam omni devotione pronisque officiis sedulo mereri conabor.

Postremo, Magnificus olim Dominus Stanislaus,[6] Samogitiensis Capitaneus, in cuius successionem iure propinquo et tutorio Magnificus Dominus Ioannes Sabrzezinski,[7] Throcensis Palatinus, successit, dederat in Montem Regium cuidam Nicolao Hem arma sua cathaphractica vulgo Kyris nuncupata, ad decem aut plures, ni fallor, viros, propter vetustatem et rubiginem renovare, que tandem, inopinata morte ereptus, non redemit. Mihi autem prefatus Dominus Throcensis Palatinus, ut successor et tutor, propter certas causas inter nos actas consensit dicta arma redimere. Quare per meam in Illustrissimam Dominationem Vestram observantiam suplico, dignetur prefato Nicolao Hem iniungere ac mandare, ne quitpiam hac in re mihi pariat difficultatis et ut bona fide et integra virtute summam peccuniae, quam illi pendere a renovatione et reformatione praefatus Dominus Stanislaus debuit, fateatur. Ego postmodum et litteras Maiestatis Regiae et Domini Throcensis Palatini simul cum summa peccuniaria mittam atque arma redimam, id quod offitiosissime semper Illustrissimae Dominationi Vestrae commerebor... Datum Vilnae, prima Martii, anno a Christo nato MDXXXVI.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestrae
[a] Nicolaus Volski Castellanus Sandomiriensis et magister curiae reginalis manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *dux Theodorus Basilides Ovčina-Obolenskij.*
2) *Georgius Radziwiłł.*
3) *Ioannes IV Basilides.*
4) *Górka.*
5) *Podhajce.*
6) *Janowicz.*
7) *recte: Zabrzeziński.*

*N. 468.*

*Vilnae, 2.III.1536.*

*Adalbertus Gasztołd, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de limitibus inter Ducatus Lithuaniae et Prussiae; de Theodoro Ovčina duce Moscovitico captivo, sub custodia exercituum capitanei detento; de nuntio a magno duce Moscoviae* [*Ioanne IV*] *misso; de litteris a*

*magistro Livoniae [Hermanno a Bruggenei] ad regem [Sigismundum] in negotio marchionis Gulielmi, fratris ducis Alberti, datis; de legatis ab eodem magistro ad reformandos limites mittendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Habui non pridem litteras Illustrissime Celsitudinis Vestre, datas e Regiomonte die XVIII mensis Februarii, quibus tanquam queritur, quod negotium inspiciendorum limitum inter Magnum Lituanie Ducatum et terram Prussie, non cum parvo incommodo et dampno subditorum utriusque dominii, hucusque difertur, admonetque, ut meam operam interponerem, quatenus limites huiusmodi iam componi et finiri possent modo debito. Id revera facturus sum omnino non gravate et irrecuse, quam primum optimates huius Ducatus ad nuper instantem Conventum generalem convenerint,[a] quae[z] indicta est pro dominica Reminiscere proxime ventura, nam absque Dominis Consiliariis omnibus ea res nequaquam in finem concludi potest. Quicquid autem et quonam modo in hac re conclusum fuerit, dabo operam, quod intelliget Vestra Illustrissima Celsitudo.

Scribit item ea ipsa Illustrissima Celsitudo Vestra, ut eam de rebus novis atque de captivo illo Duce Fedorio Owczina,[1] ex proceribus Moscovie uno, qui prefecturam arcis Starodubensis gessit, certiorem redderem. Id facio perlubens, quanquam nova nulla sunt. Tamen de ipso Duce Owczina captivo ita brevibus actipiat, illum scilicet esse apud Magnificum Dominum Castellanum et Capitaneum exercituum[2] etc. sub bona et firma custodia. Is habuit in hiis diebus Nuncium a Magno Duce Moscovie, qui et litteras ab ipso ad Dominum Castellanum Wilnensem presentavit, quibus eius Magnificenciam rogat, ut operam suam eius Magnificencia apud Sacram Maiestatem Regiam interponeret ageretque, quo Sua Maiestas ad stabiliendam pacem esset aclinacior. Sua Maiestas Regia, ad peticionem ipsius Ducis, misit litteras salvi conductus ad Internuncios Moscorum magnos, qui deberent pacem ipsam, aut alias saltim treugas pacis, istuc venientes stabilire. Postquam venerint et quid negociorum gesserint, sciet a me Vestra Illustrissima Celsitudo omnia.

Habuit preterea in proximo Sua Maiestas Sacra litteras a Domino Magistro Livonie, quibus primum scribit se omnem illam controversiam, que inter Illustrissimum Principem Wilhelmum, fratrem Illustrissime Celsitudinis Vestre, Archiepiscopumque Rigensem,[3] et omnem nobilitatem Livoniensem suborta fuerat, non cum pauco suo labore in bona iam condicione stabilivisse, ad multum honorem et commodum Sue Illustrissime Dominacionis. Ac tum offert se ultro velle in omnibus et servire et placere tote[z] Domui Brandemburgensis Marchionatus, vel ob id, quod affinitate Sue Maiestati Sacre plurimum coniuncta sit. Tandem idem Dominus Magister peciit diem, ad quam deberet suos Legatos ad eius Maiestatem Sacram mittere ob reformandos et innovandos limites inter Ducatum et Livoniam. Data et assignata est dies festum proximum Annunciacionis Virginis Marie. Proinde si quid vellet mihi Illustrissima Dominacio Vestra committere ad agendum in suis ac Illustrissimi fratris sui negociis aut cum ipsis Legatis Livoniensibus, aut etiam coram Sacra

Maiestate Regia in ipsorum presentia, efficiat, ut intelligam. Sum facturus lubenter... Datum Wilne, feria quinta ante dominicam Invocavit, anno Domini 1536.

Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
obsequentissimus
Adalbertus Gastold Comes a Geranoiny, Palatinus Vilnensis, Magni Ducatus Lituanie Cancellarius.

a) *in ms.* convenirint.
z) *sic in ms.*

1) *dux Theodorus Basilides Ovčina-Obolenskij.*
2) *Georgius Radziwiłł.*
3) *Thomas Schöning.*

*N. 469.*

*Vilnae, 3.III.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio [Gustavi I] regis Sueciae; de colonis transfugis; de legatione ad imperatorem [Carolum V] et regem Romanorum [Ferdinandum] in negotio Cruciferorum; de finibus Ducatus Prussiae et Masoviae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quae huc Dominatio Vestra Illustrissima transmisit ad Regiam Maiestatem, perlegi diligenter omnia, quaeque mihi conficienda imposuit, confeci quam potui commodissime. In reliquis quoque deinceps, quoad potero, parem operam collocaturus.

De Rege Suetiae divulgatum est etiam hic eum a famulo suo trucidatum esse. De eius vero negocio nil etiam actum est, nondum enim hic celebrata sunt Comitia. Quando celebrabuntur, redigam in memoriam Regiae Maiestati.

Conveni Reginalem Maiestatem [1] de iis negociis, quae Dominatio Vestra Illustrissima cum ipsius Maiestate habet. Ac de transfugis quidem vi abductis abducendisve, ait officiales suos negare factum id unquam ab se esse. Tamen ut accuratius eam rem cognoscat, mittit eo aulicum suum, qui id diligenter inspiciat et perquirat. Et si officiales ipsius hanc culpam in se admisisse comperientur, recipit eos poenas sibi daturos esse. Verum illud vicissim cupit, ut et Vestra Illustrissima Dominatio in suos animadvertat, si vel quod crimen in alios reiiciunt, ei crimini ipsi sunt obnoxii, vel perperam quid Illustrissime Dominationi Vestre deferunt.

Articulum vero illum de subditis, qui ante contractum alterutro transfugissent, repetendis ac restituendis, quum ipsius Maiestati indicassem, negavit cum eo factum officialium suorum pugnare, quod in contractu explicatum non esset, qui transfuge sint redhibendi, utrum illi tantum, qui post contractum transfugissent, an etiam qui ante contractum. Vult tamen adhuc ea de re deliberare et cum Consiliariis huius Ducatus conferre, quomodo sit articulus ille intelligendus.

Illud aegre fert ipsius Maiestas, quod officiales Dominationis Vestrae Illustrissimae quodammodo iam ipsi ius vendicant in controversis illis

possessionibus. Exactis enim veteribus colonis, alios Teuthonicae nationis ibi collocare voluerunt.

Haec Illustrissimae Dominationi Vestrae, Reginalis Maiestatis nomine, compendio indicare volui. Faciet autem Illustrissima Dominatio Vestra ipsius Maiestati rem gratam, si ipsamet de his vel id genus aliis rebus suis ad ipsius Maiestatem scripserit.

Mitto ad Dominationem Vestram Illustrissimam exemplum legationis regiae ad Romanorum Caesaream et Regiam Maiestates de conatibus Cruciferorum coercendis.

De finibus, quos Illustrissima Dominatio Vestra habet cum Masovia, inspiciendis assensa est Regia Maiestas, ut post ferias Paschae id fiat. Verum de die constituenda adhuc vult parumper deliberare propter quasdam causas. Simulac intellexero voluntatem eius, significabo Dominationi Vestrae Illustrissimae... Vilne, 3 Marcii, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
addictus capellanus Episcopus Plocensis subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Bona.*

*N. 470.*

*Vilnae, 29.III.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de controversia inter Achatium Czema [castellanum Gedanensem] et thesaurarium Marienburgensem [recte: terrarum Prussiae, Stanislaum Kostka] per palatinos Marienburgensem et Plocensem [Georgium Bażeński et Felicem Srzeński] componenda.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 471.*

*Vilnae, 30.III.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*serpentinas, globos, arma cataphracta a duce sibi mittenda petit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Intellexi ex litteris Vestrae Illustrissimae Dominacionis, mihi proxime redditis, singularem gratiam et immensam gratitudinem erga me. Quam gratiam, quoad vixero, mereri sedulo studebo de Vestra Dominacione Illustrissima serviciis meis deditissimis.

Ceterum, contuli cum Sacra Maiestate Reginali [1] de iis damnis, quae inferuntur subditis Dominacionis Vestrae Illustrissimae Sthenbergensis capitaneatus a subditis Sacrae Maiestatis Reginalis capitaneatus Iurber-

gensis, ita quemadmodum mihi Dominacio Vestra Illustrissima scribere dignata est. Misitque Sua Maiestas ad revidendum et investigandum de iis damnis et iniuriis aulicum suum Paulum Podskarbsky, ut de iis omnibus inquisicionem faceret et Suam Maiestatem certiorem facere sciret ad plenum, nondumque rediit illhinc praefatus aulicus, sed hactenus inquisicionem facit de iis damnis. Quum vero redierit, ut ut se res habebit, non incognitum erit Vestrae Illustrissimae Dominacioni.

De iis serpentinis pudet me scribere Vestrae Illustrissimae Dominacioni. Video enim modestiam Vestrae Illustrissimae Dominacionis et ita, ut ego etiam habeam discrecionem, opportet, praecipue quum iam is magister Vestrae Illustrissimae Dominacionis, qui serpentinas faciebat, mortuus est. Verum animatus hac singulari gratia Vestrae Illustrissimae Dominacionis et persuasione Domini Nympschicz, amici mei, servitoris Vestrae Illustrissimae Dominacionis, rogo, uti Dominum meum graciosissimum, ut committere cuipiam dignaretur, quo has decem serpentinas habere possem. Animus meus fuit, Illustrissime Princeps, ut he serpentine in longitudinem habeant solius ferri sine cubiculis quatuor, quinque ulnas, vel quatuor ulnas cum medio, sed ego haec defero et submitto iudicio Vestrae Illustrissimae Dominacionis. Dignaretur Vestra Illustrissima Dominacio ita mandare, prout proporcionabilius visum fuerit Dominacioni Vestrae Illustrissime. Ego hanc gratiam contendam mereri Vestrae Illustrissimae Dominacioni.

Quod vero attinet globos, mihi videretur, quod singuli contineant in se per unam libram, alias funth, et quod essent equales et eiusdem quantitatis ad omnes serpentinas. Denique, ut essent apud quamlibet serpentinam tres aut duae camere, et ubi perfecte fuerint, iuberet Vestra Illustrissima Dominacio mittere mihi illas navigio ad Cowno et deinde Vilnam, mihi significando, quanti constarent et venirent, et ego hinc pecuniam mitterem pro eis et vectigal solverem.

Porro, quod attinet haec arma cathaphracta, non possum perquirere de nomine istius, apud quem sunt invadiato.[z] Dominus Nypschicz debuit ibi scribere et investigare, apud quem sunt haec arma et quot sunt numero, nam mihi narraverunt de 16, Domino vero Nypschicz aliter isthinc significaverunt. Nova prorsus nulla sunt, tamen quae sunt, Dominus Nypschicz scribit Vestrae Illustrissimae Dominacioni... Datum Vilnae, penultima Marcii, anno MDXXXVI.

[a] Obsequentissimus
Nicolaus Volsky Castellanus Sandomiriensis
et Magister Curie Sacre Reginalis Maiestatis.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Bona.*

*N. 472.*

*Vilnae, 3.IV.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de causa Ioannis a Werden (ut bona Rheden ad vitam regio consensu obtineat) sibi commendatissima. (Cfr. El. XXX, N. 142)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

*N. 473.*

*Vilnae, 8.IV.1536.*

*Ioannes [e ducibus Lithuaniae], episcopus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut certa bona sua mobilia per Ducatum Prussiae sine telonei exactione transvehi possint.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 474.*

*Vilnae, 24.IV.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de controversia inter Achatium Czema et Stanislaum Kostka.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quicquid ab obsequenti et devoto capellano ac servitore fide, studio et affectu praestari potest, totum hoc meo nomine Vestre Illustrissime Dominationi velim dicatum. Contuli cum Sacra Regia Maiestate super his, que mihi de Domino Czema Vestra Illustrissima Dominatio sua manu perscripsit. Scripsit et ipse eadem indicans et regie voluntatis, an huc venire debeat, declarationem expectans. Verum quia non displicet consilium Vestre Illustrissime Dominationis Regie Maiestati de mittendo iterum eodem Domino Czema ad Reverendissimum Dominum Cardinalem Moguntinensem,[1] si ita opere precium videbitur, proinde satius videbatur Sue Maiestati non fatigare Dominum Czema in veniendo huc, sed quod se servet maiori itineri colligatque vires et equos saginet.

Que vero habet in commissis ab Illustrissima filia Sue Maiestatis, perscribat. Et ad eum modum responsum est Domino Czeme, quod scire volui Vestram Illustrissimam Dominationem, simul et illud datum esse negotium Dominis Plocensi[2] et Marienburgensi[3] Palatinis, ut ipsi cognoscant super iniuria, de qua Dominus Czema ante discessum suum in Marchiam questus est. De posteriori autem, quam iterum se absente accepisse queritur Dominus Gedanensis,[4] severe scriptum est et iniunctum Domino Kostka, ut se omnino ab talibus contineat, et si quid tale, quod Dominus Gedanensis asserit, admisit, mox cum faenore sarciat. Sed ille sine causa se criminari a Domino Gdanensi asseverat, submittens se cognitioni et iuditio agnatorum et consanguineorum Domini Czeme. Utcunque res iste se habeant et undecunque oriantur, vehementer displicent Regie Maiestati, et si durabunt, vereor, ne utrique litigantium vel alteri eorum adferant incommodum aliquod non leve. Ad quod ne perveniant, ego profecto pro virili mea curo. Praecor, ut Deus Omnipotens

diutissime foelicem et mascula atque se digna prole parentem Illustrissimam Dominationem Vestram servet. Vilne, XXV Aprilis, MDXXXVI.

Eiusdem Celsitudinis Vestre Illustrissime servitor
Episcopus Plocensis scripsit.

1) *Albertus Brandenburgensis.*
2) *Felix Srzeński.*
3) *Georgius Bażeński.*
4) *Achatius Czema.*

*N. 475.*

*Vilnae, 25.IV.1536.*

*Stanislaus Odrowąż, palatinus Belsensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut sibi et uxori suae, ducissae Masoviae* [*Annae*], *in negotio dotis iustitia fiat, intercessionem ducis implorat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Etsi, Illustrissime Princeps, nunquam demeruerim eam graciam Vestre Illustritatis, quod mihi hoc salubre ac gratissimum consilium prebere dignata fuerat, ut in uxorem Ducem Mazoviae mihi ducerem, quod ego, perractis[z] (secundum morem nostrum) prioris uxoris lugubribus ceremoniis, acceptavi et transegi. Atque Deo Maximo humilles habeo gracias, quod me huius virginis effecit maritum, et Vestre Illustritati non minores quoque me habere et agere oportet, cum huius nostri connubii et primus autor fuerit et autoritate sui consilii mihi id persuaserit. Atque hoc connubio sum percontentissimus, sed, Illustrissime Princeps, veteri proverbio vulgatum est: Nihil adeo beatum in humanis rebus esse, quin ab aliqua parcium non langueat. Itaque quamvis Deo Optimo imortales[z] ago gracias pro hoc in me collato beneficio, a Dominis tamen meis coronatis nullam prorsum habeo graciam, sine quorum scitu nihil proterve a me actum est, accedentibus Maiestatum Suarum ad ceremonias illas solemnioribus Nunciis.

Qui et si multa mecum componere vollebant,[z] que ego diffugi, peractisque himeneiis me ad Maiestatem Regiam iturum pollicitus sum. Ubi Vilnam veni, eo modo suplex Dominos meos rogavi et agressus, quo maxime subditis cum Dominis suis ius est, precibus solito diligencioribus, ut Maiestates Suae, pro gracia et iusticia sua, rem uxoris meae in Conventum Generalem Regni vel adventum in Poloniam suum reicere velint, ubi Maiestas Sua cum Dominis Consiliariis suis de meae consortis iusticia disputare dignabitur atque cum Consiliariis discernere, si aliqua sit, ut de illa sit uxor mea contentata, si nulla, mihi ut silencium imponeret equisque racionibus et non in iusticiam nostram dependeret.

Interdum ego, ut simul cum uxore mea in tenutis satis sterilibus, quas illa tenebat, conservati maneamus, si alio iam non posset esse modo per modum arende nisi, ne coniunx mea charissima, que utique est condicionis eius, cuius scit Vestra Illustritas, adeo in levipendium suum ex his bonis eiecta videatur. Nullum emolumentum preces meae mihi fecere. Sola me dote 15000 florenorum contentum esse volunt ac pene ad recipiendam eam cogunt. Mea vero coniunx non satis sibi actum esse

putaret, cum hac presertim, quam habet, iusticia. Maiestates vero Sue, ut bonis illis cedere urgent, meque in Mazovia nec una hora libenter viderent.

Item si iusticiam uxoris meae Vestre Illustritati describere deberem, multa essent recensenda. Sed si fuit hic Dominus Stanislaus Lasky, affinis meus, vel aduc est, ille optime scit rerum seriem. Vel si vult Vestra Illustritas, ego omnia in scriptis mittam, vel si iubet, solus advolabo, ut invisem [z)] Dominum et benefactorem meum. Interim vero humillime oro, Illustritas Vestra velit graciose pro gracia sua, qua eciam non meritos prosequi solet, et necessitudine sua cum uxore mea, quam Vestra Illustritas sola ingenue fatetur, atque pro meis perpetuys [z)] serviciis, mihi consilio et auxilio non deesse, quid mihi agendum sit, si et ex bonis illis uxor tollenda dosque recipienda est, que mihi nulla via mundi dabitur, nisi coniunx mea fateatur et inscribat sibi satis factum esse ex omni Ducatu Mazoviae, tam sortis paterne quam materne et aliarum omnium propinquitatum, et ut si perpetuo abdicaret et abrenunciaret omnibus iusticiis, sola dote contenta sit. Hoc mihi a Maiestate Regia dictum esse me non aliter dotem levare posse sciat.

Si illam non accipiam ex his bonis, quod mihi utique gravissimum foret, et precipue hac male [z)] illius sanitate durante, est enim iam pregnans et ideo debilis, timeo mihi de indignacione Regiae Maiestatis. Hoc unum scio, quod illi vim non inferrent, si illam illuc relinquerim,[z)] sed iam multa mihi minantur interim. Persuadent interim, graciam suam pollicitantes et aliis miris modis, sed esset longum recensere, si Deus daret, ut aput Vestram Illustritatem constitui possem et verbis esset facilius. Ego nunc Mazoviam contendam ibique graciosam informacionem, utinam citam, expectabo, humillime rogans, quo uxorem meam mecum resque nostras sibi velit habere comendatas. Et nos id Vestre Illustritati demereri contendemus, nihil pretermittentes. Si eciam visum fuerit Vestre Illustritati litteras suas intercessorias dare ad Regiam Maiestatem pro nobis, ut nos ita conservet, sicut cupimus, donec in adventum suum. Misissem ego perlubentissime ad Vestram Illustritatem proprium meum Nuncium, nisi sit legitima causa, quam brevi resciet, sed si est gracia Vestre Illustritatis, ut aliquem adolescentem suum ad me, vel illum afinem [z)] meum Tarlo, cum suo gracioso consilio mittere velit.

Multa certe essent scribenda Vestre Illustritati, sed nec sat tutum est talia litteris commendare. Dabo tamen operam, ut Vestram Illustritatem quam citissime invisem,[z)] si per meas istas dificultates licebit.

Nova penitus nulla sunt, que diffusius Vestra Illustritas ex hoc Nuncio Regiae Maiestatis Iunioris, Domini mei clementissimi, cognoscere non possit. Qui Nuncius me admodum rogavit, ut illum Vestre Illustritati comendare,[z)] quamvis ille nihil dubitat de amplissima ducali humanitate Vestre Illustritatis, quia est optimus adolescens et in aula nostrorum Principum conservatus, adeo ut nemo sit, qui illum non amet. Sciat eciam rogo hanc sui per me aput Vestram Illustritatem commendacionem factam Et vocatur Hieronimus Chotkowicz, Capitaneus Oszmyanensis, germanus illius, qui Illustritati Vestre servivit... Datum Vilne, die Sancti Marci Evangeliste, anno 1536.

Eiusdem Vestre Illustritatis humillis servitor
Stanislaus Odrovaz
manu propria.

Rex Iunior iam iuramentum prestitit Dominis Lituanis etc. hodie.

z) *sic in ms.*

*N. 476.*

*Vilnae, 25.IV.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, magister curiae reginalis, Alberto in Prussia duci*

*respondet ad querelas ducis de iniuriis subditis suis a subditis reginae Bonae illatis; pro serpentinis sibi missis gratias agit earumque pretium cognoscere cupit; refert de iuramento a rege iuniore [Sigismundo Augusto] ordinibus et statibus Magni Ducatus Lithuaniae praestito.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non est opus Vestre Dominationi Illustrissime mihi habere gratias, quia pridem negocia illius hic apud Serenissimam Reginalem Magestatem, Dominam et Principem meam clementissimam, promoverim. Feci id revera libenter et sinceriter, ut qui Illustrissime Dominationi Vestre, tanquam Principi consanguineo Maiestatum Suarum Principum meorum, impense rebus omnibus faveo et cupio, ut ea omnia ex sentencia Illustrissime Dominationis Vestre cedant.

Quod autem Illustrissima Dominatio Vestra repetere dignetur de iniuriis illius, de quibus Illustrissima Dominatio Vestra per litteras suas expostulat, que subditis Illustrissime Dominationis Vestre[a] evenire debuerint, ego, ut qui scribo, Illustrissime Dominationi Vestre libenter morem gerere cuperem, egi cum Sua Maiestate Reginali diligenter, quo ea omnia moderentur aut in bono aliquo fine constituerentur. Et Maiestas Sua, volens de statu rerum omnium certior fieri, nec credere aliorum assertioni, misit illuc aulicum suum, hominem meo iudicio bonum, ad investigandum de premissis omnibus controversiis, quomodocumque factis et exortis.

Qua de re nolo ego Illustrissimam Dominationem Vestram prolixitate litterarum mearum superflua occupare, nam Maiestas Sua Reginalis de his omnibus, ut sese haberent, Illustrissime Dominationi Vestre describere dignata est. Vehementissime et ex mea animi sentencia cordialiter faverem et quam libentissime viderem, ut Illustrissima Dominatio Vestra in his et aliis quibuscumque rebus suis ita se accommodare dignaretur, quo a mutua ea necessitudine Principum meorum non dissideat, neque etiam tantum fidei suis servitoribus tribuat, ut rursus investigari non possit precipua veritas. Quoniam enim horum servitorum sunt mores hi, ut dum delirant erga Principes suos, volentes deinde evadere culpam, mira diversaque illi excogitare et persuadere illi solent. Sed Illustrissima Dominatio Vestra, veluti prudens, ea omnia melius et perspicacius dispiciet sua alta Minerva, quam scribere potuissem.

Caeterum ago etiam Illustrissime Dominationi Vestre non vulgares gratias pro ea opera et sollicitudine, quam mea causa habet in mittendis huc ad Kowno serpentinis. Enitar eam benevolenciam ducalem obsequendi suo studio Illustrissime Dominationi Vestre ex animo mereri. Cuperem autem intelligere precium illarum, et quod queque suis sedibus applicentur, aut potius imponantur. Quod rogo plurimum Illustrissimam Dominationem Vestram, suis litteris scribere dignaretur, ut sciam, quantum pro una queque[z] mittere debuerim pro qualibet sedium. Quam primum enim a Vestra [Dominatione] Illustrissima perscriptum habuero, statim theloneatori Kownensi, qui serpentinas predictas meo nomine actepta-

turus est, peccuniam mittere absque omni remoracione curabo. Dummodo saltem attinencie illarum, ut pote camere nuncupant, absque rothis huc sine offensa mitterentur. De quibus eandem Illustrissimam Dominationem Vestram Dominus Hieronimus Koczkowicz, presentium ostensor, certiorem reddet, cui id effectualiter narrandum et dicendum commissi.[z] Quem quidem Illustrissima Dominatio Vestra dignetur gratiose et clementer exaudire.

Nova nulla habemus, nisi hodie, ipso die Sancti Marci Ewangeliste, Serenissimus Dominus Rex iunior iuramentum omnibus Ordinibus et Statibus istius Ducatus prestitit. Quod felix faustumque sit Maiestati Sue et Reipublice. Reliqua dicet idem Dominus Kothkovicz, aulicus Sacrae Maiestatis Regiae... Vilne, vigesima quinta mensis Aprilis, anno Domini MDXXXVI.

[b] Eiusdem obsequentissimus servitor
Nicolaus Volsky, Magister Curie Reginalis
Maiestatis, Castellanus Sandomiriensis
manu sua.[c]

a) *in ms.* Vestra
z) *sic in ms.*
b)-c) *manu propria.*

*N. 477.*

*Vilnae, 11.V.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras regis [Sigismundi I] ad Cameram Imperialem transmittendas.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 478.*

*« a Schwabo », 19.V.1536.*

*Hieronymus Chodkiewicz*
*Alberto in Prussia duci*
*pro beneficiis sibi exhibitis gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 479*

*Posnaniae, 23.V.1536.*

*Iacobus Brzozowicz, commendator Posnaniensis, aulicus regis Sigismundi I,*
*Alberto in Prussia duci*
*nobilem Witkowski, qui alium nobilem casu interfecit, commendat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.360.*

N. 480.

*Obryte, 23.V.1536.*

*Petrus Gamrat, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de die conventui commissariorum ad regundos fines designato prorogando.*
*(Cum schedula de limitum transgressionibus)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps, etsi ego, meis consulens rebus, proposueram infra paucos dies abire hinc in Episcopatum meum, acceptis tamen perendie Sacre Maiestatis Regie litteris, cuius Regie Celsitudini servire sum obstrictus, tum eciam hodie Vestre Illustrissime Dominationis, cui in omnibus et per omnia placere et gratificari cuperem, continebo me ab eo itinere curaboque, si Deus bonam concesserit valetudinem, hinc interesse Diete, et mox mittam ad collegas meos, ut mutua illorum habita intelligencia et assensu, diem eum vel alium certum, quem Vestra Illustrissima Dominatio denunciare et significare dignata est, constituamus ad eos perficiendos limites.

Quod quemadmodum cum illis conveniam et constituam, sine omni dilacione Vestre Illustrissime Dominationi significare non negligam. Placet mihi hic dies, a Illustrissima Dominatione Vestra nominatus. Unum vereor, ut college mei, perpendentes pro eo die pabula nowa avene, feni et straminum vix eciam peccuniis numeratis habere posse, ne peterent parum quid ulterius negotium prorogari. Antiquiora enim pabula in partibus hic nostris non sine magna dificultate conquiruntur. Curabitur tamen a me, ut, si non pro eo die, parum tamen ulterius differenti negotium transactionis istius instituatur. Transactiones priores, per nos regios, tum et Vestre Illustrissime Dominationis Commissarios factas et transactas, quod non miserim hucusque Vestre Illustrissime Dominationi, ut iusserat, boni oro consulat. Nam scriba ille meus, qui illas apud se habet, hucusque a me abest, ita negotiis exposcentibus. Propediem tamen rediturus est. Quam primum autem redierit, mox illas mittam ad Illustrissimam Dominationem Vestram, eas presertim, que non fuerant a me signate in illo memoriali, quod primum Sacre Maiestati Regie, demum Illustrissime Vestre Dominationi Cracovie dederam... Ex Obrithe, die XXIII mensis Maii, anno Domini MDXXXVIto.

[a] Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
Capellanus
Episcopus Premisliensis subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Schedula adiuncta:*

Illustrissime Princeps, in eis violentiis et limittum transgressionibus ex parte subditorum Ducatus Masoviae, super quibus Vestra Illustrissima Dominatio ad me dederat scripta sua, commiseram ego serio Magnifico Domino Pallatino Masovie et eidem Capitaneo Ciechonoviensi, ut omnes tales limittum et transactionum factarum et constitutarum transgressores

severius puniret, quos sibi Dominus Capitaneus in Nidborg deferret. Quod eciam meis scriptis, ut ita fieret, Domino Capitaneo Nidborgensi Illustrissime Dominationis Vestre significaveram. Hec ideo adnotare volui, ne existimaret me Illustrissima Dominatio Vestra scriptorum et commissorum suorum incurabilem observatorem esse...

*N. 481.*

*Vilnae, 27.V.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister, Alberto in Prussia duci*
*in negotio acquirendarum a duce serpentinarum mittit musicum regis Poloniae iunioris [Sigismundi Augusti].*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Habui litteras Vestrae Illustrissimae Dominacionis, per Dominum Hieronimum Chodkyevicz mihi redditas, ex quibus ea, quae ad me scribere dignata est Vestra Dominacio Illustrissima, intellexi. Sed hae diferenciae, pro quibus inter officiales et subditos utriusque partis non convenit, quantum intelligo, sopiri et decidi non possunt, antequam illuc Commissarii certi a Sacra Maiestate Regia deputati exequitabunt.

Quod attinet has serpentinas, Illustrissime Princeps, iam pudet me tocies scriptis meis onerare Dominacionem Vestram Illustrissimam, utpote qui hanc tantam gratiam non sum meritus de Vestra Illustrissima Dominacione, pro viribus tamen meis, quoad vivam, mereri studebo.

Non potui ita bene intelligere quantitatem et magnitudinem serpentinarum ex scriptis Vestrae Illustrissimae Dominacionis, sicut intellexi ex iis globis, quos mihi mittere dignata est Dominacio Vestra Illustrissima. Et ita mitto hunc Stanczel, Serenissimi Domini Regis iuvenis timpanistam, isthuc ad Vestram Illustrissimam Dominacionem cum uno globo minore, secundum quem globum velim habere bombardas seu serpentinas, prout ipse refferret Vestrae Illustrissimae Dominacioni. Quem graciose exaudire et hunc citto expedire Vestra Illustrissima Dominacio dignaretur mandare, propter Serenissimum Regem iuvenem, cuius Celsitudini Regiae servit. Et de iis serpentinis Vestra Illustrissima Dominacio cum eo ita constituere dignaretur, prout ipse refferret et prout Vestrae Illustrissimae Dominacioni, Domino meo colendissimo, melius videbitur. Committo hoc immensae gratiae et altae prudenciae Vestrae Illustrissimae Dominacionis.

Velim vero habere serpentinas ad numerum ducentorum florenorum in moneta polonicali, quot videlicet fieri possent serpentinae pro ducentis florenis, et has serpentinas falcones vocant... Datum Vilne, 27 Maii, anno Domini MDXXXVI.

[a] Servitor obsequentissimus ad omnia

Nicolaus Volsky Castellanus Sandomiriensis
Magister Curie Reginalis Maiestatis manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 482.*

*Obryte, 2.VI.1536.*

*Petrus Gamrat, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iterum de die conventui commissariorum ad regundos fines designato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 483.*

*Vilnae, 25.VI.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*munus legationis ad Gulielmum Brandenburgensem, coadiutorem Rigensem, non Achatio Czema, sed Nicolao Nibschitz a rege [Sigismundo I] demandatum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Egi cum Regia Maiestate, ut Domino Nicolao Nipschicz pro Domino Achatio Czema provincia legationis ad Livones obeundae propter negocia Reverendissimi et Illustrissimi Domini Vilhelmi, Coadiutoris Rigensis etc., fratris Dominationis Vestrae Illustrissimae, demandaretur. Iussitque ipsius Maiestas, ut proficiscatur, nec ipse iussum detrectat. Itaque Dominatio Vestra Illustrissima faciet cerciorem Dominum Achacium Czema, ut maneat. Aliud nihil est, de quo mihi in praesens ad Dominationem Vestram Illustrissimam scribendum putem. Novarum rerum hic nunc nihil est... Vilnae, XXV Iunii, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor Episcopus Plocensis subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 484.*

*Vilnae, 30.VI.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut bombardae quanto citius Caunam versus a duce mittantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime atque Potentissime Domine Princeps *etc.*

Et quamquam Illustrissime Domine Princeps, nuper ad eandem suas[z] dederam litteras, pro Domino videlicet eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis Raugnetensi Capitaneo,[a] quem ut easdem ad Illustrem ac Ducalem Vestram Dominacionem transmittat, rogavi. Incerto

tamen nunccio missas hesitavi, quin ad eandem Illustrem ac Ducalem Dominacionem Vestram citto[b] perveniant, nactusque tam oportunum portitorem et clientulum eiusdem Vestrae Illustrissime ac Ducalis Dominacionis, equum censui priores litteras meas denuo repetendas. Sique in dies alios et alios haberem occurrentes, non sufficerem meis scriptis exarare tantam graciam, michi per eandem Vestram Illustrem ac Ducalem Dominacionem circa structionem harum mearum bombardarum clementissime exhibitam. Preterea quod Vestra Illustris ac Ducalis Dominacio Vestra[z] per nuncium et famulum seu pixidarium Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi (quem solum a Sacra Maiestate Regia ad certum tempus aquisiveram, tanquam huius negocii expertum) de munere intimare dignata est, bene apud me considero, quantum debeam tante gratie eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis erga me exhibite, nec dignas gratiarum actiones proferre valeo, sed pro virili mea omnibus modis conabor quam studiosissime erga eandem obsequiis et serviciis suis[z] promereri.

Ut autem rescriberem ad litteras eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis, ex quibus sane intellexi easdem meas bombardas circiter festum Sancti Dominici in Kowna civitate constitui, scire dignetur Illustris ac Ducalis Dominacio Vestra, ut quam cicius illic constituentur, rem gratissimam michi Vestra Illustris ac Ducalis Dominatio faciet. Et quamvis easdem bombardas decreveram recta ex Kowna ad certa sua[z] bona transmittere, attamen Sacra Maiestas Regia Iunior, Serenissimus Dominus Sigismundus Augustus, vult easdem bombardas prius omnes videre. Cui mos gerendus est oportet, nam Sue Maiestati de eo negocio et de tanta eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis gracia in me exhibita abunde declaravi. Misique iam Kownam versus famulum suum[z] ad Reverendum Dominum Eustachium,[1] Secretarium Sacre Reginalis Maiestatis et Parochum Theloneatoremque Kownensem, unacum peccunia residua pro eisdem bombardis persolvenda, et id, quodcumque persolvendum restiterit, idem Dominus Eustachius, prout intelliget ex litteris eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis, omnia persolvet et bombardas ad se accipiet michique sine mora huc Vilnam remittet. Solum, Illustris Domine Princeps, humiliter rogo, dignetur eidem Domino Eustachio facere describi suis litteris, quantum peccunie et cui persolvere debeat... Ex Vilna, datum feria sexta post Petri et Pauli Apostolorum, anno 1536.

[c] Nicolaus Volsky Magister Curie Regie Maiestatis
Castellanus Sandomiriensis manu propria.[b]

a) Capitaneo *in margine.*
b) *super lineam additum.*
c)-d) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Erasmus Eustachius.*

*N. 485.*

*Vilnae, 3.VII.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister, Alberto in Prussia duci*
*pro bombardis iam missis, pro munere sibi oblato et pro humanitate sibi et nuntio suo exhibita agit gratias.*

*(Cum annexa schedula)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime atque Potentissime Princeps *etc.*

Vereor plane et erubesco, Illustrissime Domine Princeps, tantam humanitatem, benivolenciam, michi per eandem Illustrem ac Ducalem Dominacionem Vestram circa structionem bombardarum mearum tam graciose et clementissime exhibitam, nitarque pro virili mea, quam studiosissime potero, erga eandem Illustrem ac Ducalem Dominationem Vestram et famulos eiusdem promereri. Erga enim nihil meritum plus satis locatum esse censeo beneque apud me perpendo, quantum eidem Illustri ac Ducali Dominacioni Vestre pro hiis debeam, omnibus et quibusvis obsequiis pro voto eiusdem subeundis ultro sese promptissimum offerens, maximasque eidem Illustrissime ac Ducali Dominacioni Vestre ago gracias et de tam diligentibus in eo negocio ad me adscriptis. Utque ad scripta eiusdem Illustris ac Ducalis Dominacionis Vestre nunc responderem, dignata est michi Vestra Illustris ac Ducalis Dominacio suis innotescere litteris has meas bombardas circiter festum Sancti Dominici fieri paratas. Humiliter eidem Vestre Illustri ac Ducali Dominacioni suplico, velit ex gracia sua easdem bombardas ad Kownam civitatem mandare adduci committereque easdem Reverendo Domino Eustachio, Secretario Sacre Reginalis Maiestatis et Canonico Vilnensi, Curatoque ibidem in Kowna et Theloneatori Sacre Maiestatis Regiae. Qui Dominus Eustachius omnem impensam et expensam earundem bombardarum hiis, qui easdem adducent, persolvet et peccuniam adnumerabit totam.

Ceterum, Illustrissime Domine Princeps, pro munere michi per eundem, quem illic ad Illustrem ac Ducalem Dominacionem Vestram in eo negocio miseram nunccium (qui musicus seu fidicen est Serenissimi Domini Regis Poloniae Iunioris, Augusti), intimato, maximas eidem Illustri ac Ducali Dominacioni Vestre ago gratias. Et non tam magne estimacionis munus ipsum apud me habetur, quam quod sit a tam Illustri atque Potentissimo Principe missum. Quod ego pro speciali apud me clenodio estimabo et habebo. Dixique iam et colloquutus sum de hiis cum Serenissimo Domino Rege Iuniore Augusto, et quamvis omnino decreveram easdem bombardas recta ex Kowna, non fiendo cum eisdem in Vilna, ad certa sua[z] bona mittere, attamen per Suam Maiestatem retentus, cogor easdem omnes bombardas huc Vilnam facere adduci, de quarum advectione huc iam cum memorato Domino Eustachio, Secretario etc., conveni. Nam cupit easdem Sacra Maiestas Regia videre. Cui mos gerendus est.

Preterea, Illustrissime Domine Princeps, eciam non minores eidem Illustri ac Ducali Dominacioni Vestre ago gracias de benivolencia in eiusdem nunccium, quem illic miseram, sibi per Generosum Dominum Capitaneum arcis eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominacionis Raugneta exhibita, quod videlicet idem Dominus Capitaneus, deficiente ex fatiga equo nominato meo nunccio, tanquam non ignarus fortassis Illustrem ac Ducalem Vestram Dominacionem michi fore graciosissimum atque clementissimum Dominum, eundem, equo illius lassato apud se relicto, alio recenciori usque Kownam provisit.[z] Quod ego studiosissime modis omnibus erga eandem Illustrem ac Ducalem Domina-

cionem Vestram promereri studebo... Datum Vilne, feria secunda in crastino Visitacionis Gloriosissime Virginis Mariae, anno Domini 1536.

Eiusdem Vestre Illustris ac Ducalis Dominationis
deditissimus et obsequentissimus
[a] Nicolaus Volsky Castellanus Sandomiriensis et Magister
Curie Sacre Regie Maiestatis manu propria.[b]

*Adiuncta schedula:*

Dignetur Vestra Illustris ac Ducalis Dominacio ad Dominum Eustachium, Secretarium Reginalis Maiestatis, suas dare litteras et eidem illis describere, quantum peccunie ego debeo pro his bombardis, et idem Dominus Eustachius omnia persolvet, prout a me in commissis habet.

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 486.*

*Vilnae, 6.VII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*regem duci gratum esse nuntiat pro diligentia in rebus novis describendis, electo tamen regi Daniae [Christiano III], ipsum difficillimis bellis occupatum, opem ferre non posse; de statu negotiorum ducis apud imperatorem [Carolum V] ex annexo exemplo litterarum oratoris regii, Petri Opaliński, ducem edoctum iri.*
*Sigill.*
*(Annexum: Ex litteris Petri Opaliński, cast. Gnesnen., ad regem)*
*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Quum huc literae Dominationis Vestrae Illustrissimae allatae essent, et Dominus Nipschitz, ut ante perscripsi, Legatus ad Livones profectus abesset, resignavi literas et perlegi Regiae Maiestati. Quae grato et benigno animo accepit istam Dominationis Vestrae Illustrissimae, nepotis sui charissimi, in describendis rebus novis diligentiam. Verum quod Dominatio Vestra Illustrissima petit, ut opem ferat Serenissimo Electo Regi Daniae, id non facile praestare potest. Neque enim ignorat Dominatio Vestra Illustrissima, quam difficilibus bellis ipsemet Serenissimus Rex noster, nempe cum Valachis et cum Moschis gerendis, distineatur. Accessit alia difficultas, quod neque Gedanenses, fortassis etiam si vellent, eidem Electo Regi suppetias ire poterunt, propterea quod naves et merces eorum in inferiori Germania in Caesaris ditionibus pignorate tenentur, ut, si comperiretur eos a Rege Daniae stare, magnam eos et irrecuperabilem rerum suarum iacturam facere oporteret, nisi forte interim domum remeent. Quod si fiat, tum demum esset id eis integrum, sed prius minime.

De negociis Dominationis Vestrae Illustrissimae et de Cruciferis atque Palatino Reni, quid egerit et perfecerit apud Caesaream Maiesta-

tem Dominus Petrus Opalenski, Orator regius, ex his scriptis, quae cum his transmitto, Dominatio Vestra Illustrissima cognoscet... Vilnae, VI Iulii, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor Episcopus Plocensis
manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Annexum. Petrus Opaliński ad regem Poloniae, 20.V.1536:*

Ex litteris Domini Opalenski, datis ex aula Caesaris in oppido Sancti Ioannis,[1] vigesima die mensis Maii.

Quod vero attinet Supremum Ordinis Theutonici Magistrum[2] et Illustrem Fredericum Palatinum Reni, retuli quoque Suae Caesareae Maiestati habundissime, quod novis consiliis et federibus conspiraverint in pernitiem ditionum Vestrae Maiestatis, et maxime Ducatus Prussiae. Retuli quoque omnia ex ordine, que committere mihi dignata est informatione sua Sacra Maiestas Vestra, quae discedenti mihi usque ex Mantua per postam Serenissimi Romanorum Regis cum litteris Vestrarum Maiestatum oblata fuerat.

His finitis, vocavit ad se Maiestas Caesarea Dominum Granvela, cum quo multa verba fecit. Postea autem privatim me ad se vocavit atque haec verba ore proprio lingua Italica ita mihi respondit:

Quod Magistrum Ordinis Theutonici et Ducem Fredericum[3] attinet, prout nobis dixistis nomine Suae Maiestatis, hactenus nihil certe audivimus. Nos enim inter christianos Principes nihil desyderamus magis, nisi concordiam et pacem, cui undequaque studemus diligenter. Dabimus tamen operam, ut eam rem intelligamus illique, quantum erit ex nobis, officiosissime provideamus.

Item de rebus novis nihil aliud est preter hoc, quod Caesarea Maiestas omni studio et affectu curavit, ut negocium hoc de Ducatu Mediolanensi inter se et Regem Galliae sine armis componi potuisset. Non negabat iam Caesar dari Ducatum filio Regis Galliae minorenni, Mosenior de Angolem,[4] certis et honestis conditionibus cum satisfactione impensarum Caesaris in bello et Ducatu ipso. Venerat ad eam rem tractandam Reverendissimus Cardinalis de Arena[5] nomine Regis Galliae, qui rebus infectis hinc abiit. Atque ita demum nihil nisi acerrimum bellum expectamus. Ad quod Caesarea Maiestas ita animum iam instituit, ut vel illi ocumbat vel ille debelletur. Obtulit se Caesarea Maiestas ultro coram solo Pontifice[6] et Cardinalibus dimicare velle manu et persona propria cum Serenissimo Galliae Rege pro iusticia et aequitate sua. Cuius rei copiam mitto scriptam Vestris Maiestatibus. Habet Caesarea Maiestas numerosum militem, et peditem et equitem, quorum penes se habet circa vel citra quinquaginta milia, cum quibus versus Sabaudiam, ex Sabaudia versus Galliam proficiscitur. Ex altera autem parte alii exercitus Suae Maiestatis, Almani et Hispani, tendunt recta versus Galliam, ut illic conveniant simul et Regnum illud Galliae obruant. Dux enim de Branczwlil[7] vadit per Flandriam viginti milibus peditum, Lanczknechten, et tribus millibus equitum ex Burgundia. Hispanorum autem, per viam Navarre in Galliam, quoque vadunt viginti millia peditum Hispanorum et tria millia equitum.

Andreas Doria in Ianua quinquaginta galleas grossas, quatuor galleoni, alias naves infinitas, optime et armatas et victualibus provisas, habet.

Qui etiam adversus Gallos alia parte vadunt. Facile conicere potest quisque, quam hoc atrox bellum futurum est, nisi Deus providerit. Sed parva spes est concordie. Ferunt quidem nonnulli Serenissimam Galliae Reginam [8] venturam obvio fratri suo, Catholico Caesari, ut bellum hoc dirimere forte posset. Sed haec incerta sunt. Illustrissima Dux Sabaudiae,[9] quae nunc expulsa in Mediolano habitat, pridie venit ad oppidulum quoddam ad Caesaream Maiestatem, cum qua simul venerat Illustrissima Mediolani Dux,[10] relicta olim Illustrissimi Francisci Sforciae. Excepit illas Sua Caesarea Maiestas quam humanissime.

Fama fuit Pontificem Maximum venire velle Bononiam, sed ferunt Suam Beatitudinem mutasse propositum. Curavit Caesarea Maiestas diligenter, ne quid in proficiscendo preiudicii fiat civitatibus et ditionibus Suae Sanctitatis, quarum ne unam quidem ingredi voluit. Exercitus Regis Galliae, qui Alpes versus nos transscenderat, relictis presidiis in Turrino et Piemont, ad alteram moncium partem, se contulisse fertur ad alium Gallorum exercitum, qui centum et plus millia numero esse predicatur. Illic fortasse Caesaream Maiestatem in fine moncium expectaturi, qui quadruplici exercitu Galliam ingreditur per Sabaudiam, per Flandriam, per Navarram et Hispaniam, et classe Andreae Dorii... Datum.

a) *in ms.* Oratore
b) *in ms.* attinentem
1) *de Mauriana.*
2) *Valterus de Cronberg.*
3) *pal. Rheni, dux Bavariae.*
4) *Mgr. d'Angoulême, Carolus, tertius filius regis Galliae.*
5) *legatus regis Galliae: Ioannes de Lotharingia (error amanuensis qui scripsit* Arena *pro* Lorena).
6) *Paulus III.*
7) *Braunschweig.*
8) *Caroli V soror, Eleonora.*
9) *Beatrix, infans Lusitaniae.*
10) *Christina Danica, Caroli V ex sorore nepos.*

*N. 487.*

*Obryte, 6.VII.1536.*

*Petrus Gamrat, episcopus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*diem commissariis de limitum differentiis tractaturis designatum duci notificat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Egi ego, Illustrissime Princeps, cum aliis Dominis collegis meis, regiis Commissariis, ut regio mandato ac voluntati Vestre Dominationis Illustrissime quam primum satisfactum fuisset, et in diem Dive Marie Magdalene in loco illo differentiarum, ubi imperfectos reliqueramus limittes ,conveniremus. Causarunt illi plura, sed potissimum ista, quia pro eo tempore nondum nowa equis habere possent pabula. Item Magnifici Domini Pallatini Plocensis [1] ex Mariemburgensi castro pro die isto advenire non posset, habens illic dudum commissa regia mandata, in eum designata diem perficere. Et Masovie Orator, a regnicolis ex Conventu Colensi ad Sacram Regiam Maiestatem missus, eciam illic et sua curans quedam negotia, tam cito non redibit. Placuit proinde paulo dies ulterior,

videlicet festum Divo Laurentio dicatum, ut die ista conveniamus, tam Vestre Illustrissime Dominationis, quam regii Commissarii, in loca differentie proxima, et in crastino Sancti Laurentii mane in loco differentiae compareamus omnes, negotia cepta, utinam bono omine, inchoaturi et perfecturi.

Eam regiorum Commissariorum deliberacionem volui Vestre Illustrissime Dominationi perscribere. Si proinde hoc tempus et dies ista Vestre Illustrissime Dominationi placuerit, significare mihi dignabitur mentem suam, ut ego iam certos redderem Dominos regios Commissarios, quo ad diem eum in loco differentiarum adessent. Si vero aliquod aliud tempus longius Vestra Illustrissima Dominatio elegerit, ipsi votis Vestre Illustrissime Dominationis subscribent. Cicius enim, ut aiunt, venire non possunt, et cum magna difficultate perfeci ego, ut in tam citum diem consenserint. Quantum ad me, et cras essem ad omne mandatum Vestre Illustrissime Dominationis ire... Ex Obrithensi curia, die VIta mensis Iulii, anno Domini MDXXXVIto.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis capellanus
Episcopus Premisliensis subscripsit.

1) *Felix Srzeński.*

*N. 488.*

*Maciejowice, 6.VII.1536.*

*Bernardus Maciejowski, castellanus Lublinensis, aulae regiae referendarius, Alberto in Prussia duci*
*pro medico patri suo (nunc iam mortuo) misso gratias agit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 489.*

*Kielce, 18.VII.1536.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se iam scire scribit omnia instructa esse ad bellum contra regem Daniae [Christianum III] et ipsum ducem; de sua proxima ad regem Romanorum [Ferdinandum I] profectione nuntiat; de pace concludenda inter imperatorem et regem Hungariae; de Turcis contra imperatorem expeditionem parantibus; de oratore regis Galliae Constantinopoli excepto.*

*Sigill.*

*(Annexum: aliqua nova ex litteris Stanislai Łaski)*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Intellexi ex fratre meo, Magnifico Domino Stanislao de Lasko, adornata esse iam quedam, que in apertum iam bellum contra Serenissimum Dacie Regem et Vestram Illustrissimam Dominacionem instructa atque

intensa sunt. Ubi ob Vestre Illustrissime Dominacionis erga me familiamque meam singularem graciam obticere nolui me ad eiuscemodi Vestre Illustrissime Dominacionis necessitatem omnia prestiturum, quicquid unquam cum amicis meis potero. Id quod Vestra Illustrissima Dominacio intelligens, sciet et benigne a me acceptare et uti serviciis ac opera mea. Proficiscor autem istis paucis diebus ad Serenissimum Romanorum Regem, Dominum meum clementissimum, cui iam plus nimio addictus sum atque per servitutem obnoxius, futurumque spero, ut et ad Cesaream Maiestatem ipsumque Cristianissimum Francorum Regem pervolandum sit. Qua in negociacione memor ero semper prodesse et observare rem Vestre Illustrissime Dominacionis, nec obmittam scribere illi, si quando intellexero aliquid.

Nova hec sunt. Orator Cesaris nostri, Dominus Ioannes a Weze,[1] Archiepiscopus Lundensis, mihi amicissimus, attamen totus Serenissimo Dacie Regi infestus, est nunc Waradini apud Serenissimum Hungarie Ioannem Regem pacemque et concordiam omni suo conatu procurat, scribitque ad me frequenter, ut optime spei sim future pacis. De qua tamen ipse addubito propter Imperatorem Turcarum,[2] qui obversatur, ne ista pax fiat, et molitur ingentem terra marique expedicionem in futuram estatem, ad quam etiam Rex Francie bellum trahet, ut et enervet Cesarem nostrum et ad instantem estatem una cum Turca et aliis confederatis, qui nunc quiescunt, strennue arma sua stringant. Id quod ab Serenissimi Dacie Regis re non videtur mihi esse. Quanto enim diutius et intensius Cesar noster bello occupatur et distinetur, tanto debiliores et irriti erunt conatus adversariorum Dacie Regis.

Cesar autem est in Astensi civitate, Anthonius vero de Leva[3] obsidet Turinum, civitatem in Sabaudia precipuam, quam Rex Francie diligenter fortificatam 18000 militum munivit. Munivit etiam et alias civitates in eadem provincia, que non ita facile expugnari possint. Coniunx Cesaris in Hispania coegit non mediocrem exercitum, [ut] in Guasconiam invaderet et cogeret Regem Francie ad diversionem ex his locis, ubi nunc cum validissimo exercitu est. Est autem prope Lugdunum, in finibus eius provincie, ubi lacus Gebenna et civitas Genff considet.

His etiam diebus fuit Orator Gallicus Constantinopoli, qui ibi maximo triumpho exceptus fuit et dimissus, solvitque ex Constantinopoli una cum Barbarossa et cum classe 68 gallearum. Alia nunc non sunt, que Vestre Illustrissime Dominacioni scribi possent. De rebus enim nostris Polonicis et Lituanicis taceo, quia in eis nihil est,[a] quod laudari, quod placere possit...

Ex Kelcze, 18 Iulii, anno 1536.

Servitor Hieronymus de Lasko etc.
manu sua.

a) *supra lineam.*
1) *Ioannes a Weeze.*
2) *Solimanus II.*
3) *Leyva.*

*Annexum: Ex litteris Stanislai Łaski.*

Novarum rerum nil est, quod aut iuvet aut oblectet. Illustris Dominus Palatinus Siradiensis illuc, quo se iturum scribit, proficiscitur. Cristiani Principes in Thurcham somniant expeditiones, sed interim strennue muttuo sese perfricant.

Apud nos videre mihi videor nestio [z] que sane rerum semina, illudque nestio quam frugem allatura. Vereor, ne videlicet nos hoc publicum orbis incendium tandem contingat.

In Hungaria cuditur pax. Tamen qualis aut quando futura aut quid valitura, necdum palam est.

Nostra, nostra sint cure, valeant cetera. Certe degenerare casumque minari videtur orbis. Hec ipsa Principum sit cura, quorum prospera simul et adversa multos evehunt ac deprimunt multos.

Indixit nobis Princeps noster inclitus et parens communis Dietam pro Michaelis festo. Huic se interfuturum promittit. Faxit Deus, ut tali [z] quidpiam nascatur, quod probari queat Cristianeque Reipublice conveniat.

z) *sic in ms.*

*N. 490.*

*Vilnae, 19.VII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Achatio Czema legato ad cardinalem Moguntinum* [*Albertum Brandenburgensem*] *designato nuntiat; operam ducis expetit penes marchionem Ioachimum II in negotio cautionis donativae propter nuptias eiusdem marchionis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Officiosam obsequiorum meorum ad nutum Illustrissime Dominationis Vestre paratorum delationem prefatus, nolo clam esse Dominationem Vestram Illustrissimam, quod Maiestas Regia cognitis iis rebus, quas Dominus Achatius Czema ab Illustrissimo Domino Ioachimo Marchione Brandeburgensi ex legatione rediens attulit, designavit eum iterum ad eundem Legatum et ad Reverendissimum Dominum Cardinalem Maguntinensem de iis negociis, quorum Dominatio Vestra Illustrissima conscia est. Deinde dedit mihi in mandatis Regia Maiestas, rogarem Dominationem Vestram Illustrissimam meo ipsius nomine, ut perficiat apud eundem Dominum Marchionem, fratrem suum patruelem, quo is bonam et luculentam et respondentem racioni summe donationis propter nuptias, quam vernaculo Morgengabe vocant, Illustrissime coniugi suae inscriptionem cautionemque faciat. Quod rogo, ut Illustrissima Dominatio Vestra diligenter faciat et efficiat tum mea, tum Regie Maiestatis causa. Fuerit id Maiestati Regiae pergratum. Ego vero omni officiorum genere vicissim Dominationi Vestre Illustrissime inservire studebo... Vilnae, die XIX[a] Iulii, anno Domini MDXXXVI.[o]

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor Episcopus Plocensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 491.*

*Vilnae, 24.VII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Severinum Boner misisse marchioni Ioachimo [II] Brandenburgensi exemplum cautionis seu quietationis quinque millium aureorum nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Perscripsit Regiae Maiestati Dominus Severinus Bonar, Castellanus Biecensis, misisse se ad Illustrissimum Dominum Ioachimum Marchionem Brandeburgensem exemplum cautionis seu quietacionis, qualem vellet, posteaquam illi quinque milia aureorum, quae soluta nondum sunt, annumerasset, nempe ut cum ex pactis atque conventis nihil amplius deberetur, id ea quietacione ipsius Illustrissima Dominatio obiter testatum faceret. Verum recusasse illius Illustrissimam Dominationem, id quod Maiestati Regiae submolestum est, cum non sit causa, quamobrem hoc Dominus Marchio detrectare debeat, quod cum conventis non pugnat.

Itaque rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, velut eum, qui rebus omnibus transigendis non interfuit solum, sed eciam praefuit, et cui cum Domino Marchione arcta est necessitudo, perficiat apud eum persuasione, gratia et authoritate sua, ut in eo Maiestati Regiae non iniquum postulanti morem gerat. Ne Principes nostri non satis accurate et exacte ab Illustrissima Dominatione Vestra et a nobis transactum esse suspicentur. Fecerit in eo Illustrissima Dominatio Vestra Regiae Maiestati magnopere gratum caveritque, ne quid ex ea re offensionis atque simultatis inter ipsius Regiam Maiestatem et Dominum Marchionem suboriatur. Non dubito et Illustrissimam Dominationem Vestram diligenter ea de re cum Domino Marchione acturam esse, et illius Illustrissimam Dominationem non gravatim obsecundaturam... Datum Vilnae, die XXIIII Iulii, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
servitor Episcopus Plocensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 492.*

*Vilnae, 24.VII.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*de nuntio in Moscoviam misso; de exercitu ad hostium confinia expedito; de pecunia pro serpentinis iam Caunae reposita nuntiat rogatque, ut illae celerius a duce mittantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum isthuc ad Vestram Dominacionem Illustrissimam regius cubicularius iter faceret, nolui officium meum pretermittere, ut Vestre Domi-

nacioni Illustrissime non scriberem de bona potissimum valetudine Serenissimorum Principum meorum, Sacre utriusque Regie et Reginalis Maiestatis.

Etiam hoc nolui latere Vestram Illustrissimam Dominacionem, quod regius nunctius, alias gonyecz, missus est in Moschoviam cum eo nunctio Moschovitarum, qui nuper pro salvo conducto [z] venerat, speraturque inde regius nunctius redire circa ferias Divi Bartholomei.

Dominus Castellanus Vilnensis, Capitaneus exercitus Lithuanici,[1] missus est cum exercitu ad confinia hostium, qui interim, dum tractatus erunt de induciis, continebit exercitum in confiniis propter hostium in dominia huius Ducatus irrupcionem.

Quod attinet meas bombardas seu serpentinas, ego pro eis iam pecuniam misi Cownam ad Dominum Eustachium, qui eas suscipiet et pecuniam pro eis numerabit iuxta litteras Vestre Illustrissime Ducalis Dominacionis. Duntaxat rogo, uti Dominum meum Colendissimum, ut eo celerius mitterentur. Studebo hanc graciam mereri Vestre Illustrissime Dominacioni cum omnibus amicis... Vilne, XXIIII Iulii, 1536.

[a] Nicolaus Volsky Castellanus Sandomiriensis
et Magister Curie Serenissime Reginalis Maiestatis
manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Georgius Radziwiłł.*

*N. 493.*

*Ravae, 28.VII.1536.*

*Nicolaus Russocki, castellanus Biechoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rariorem ad ducem litterarum missionem multis et variis occupationibus suis excusat, prout dux ex Martino Sadowski fusius intelliget.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 494.*

*Stryków, 29.VII.1536.*

*Stanislaus Łaski et Nicolaus Russocki, Przemętensis et Biechoviensis castellani,*
*Alberto in Prussia duci*
*officia sua declarant; de oratore Daniae regis [Christiani III] in aula regis Poloniae referunt; Martinum Chodowski commendant.*

*2 sigilla. Autogr. Stanislai Łaski.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quidquid a nobis omnibus prestari unquam poterit, prestabitur sine dubio Illustrissime Vestre Celsitudini, cuius et amore tenemur omnes

simulque concupiscimus honori esse decorique.[a] Eamque ipsam ob rem memor ego illorum, quae Monti[z] Regio Illustrissime Vestre Celsitudini, ceterorum nostrorum nomine neccessariorum, retuleram, me cum Domino Lenciciensi Capitaneo ad Serenissimum Principem meum contuli, ut id Maiestatis eius clementiae notum facerem,[b] immo ut, quantum in nobis foret, animum eius Maiestatis duplicare potuissemus. Ad que singula Maiestas Principis nostri clementer simul ac pie respondere dignata est, gratum fore eius Maiestati nostrum hoc in Celsitudinis Vestre rem institutum. Cupere Suam Maiestatem intelleximus omnia felicia Illustrissime Vestre Celsitudini, quam sanguine ceterisque nodis devinctam tum sibi, tum patrie nostre attestari dignata est, adeo quod totum hoc, quod Illustrissime Vestre Celsitudini navabitur, sibi factum eius Maiestas putabit.

Eo tum tempore Serenissimi Daniae Regis, affinis Celsitudinis Vestre, Orator[1] in aula rem habuit. Nosque pro debito cum in Senatu sententias recensuissemus, Principi nostro et Domino, quod ex re erat, consuluimus, sique ad manum nobis fuisset, nil in orbe felicis bonique excogitari potuisset, quod non libere Celsitudini Vestre imprecati[c] fuissemus.

Ceterum hoc supererat, ut ego debito officioque meo, tum multis prestite nominibus Illustrissime Vestre Celsitudinis gratie, Dominus iterum Capitaneus Lenciciensis clementibus eius scriptis fatientes[z] satis, cum Illustris Domini Palatini,[2] fratris mei, litteris Illustrissimam Vestram Celsitudinem inviseremus, nos nostraque omnia illi devoventes, mittimus itaque hunc nobis unice charum Dominum Martinum Chodowski, et obnoxium militem et equitum magistrum, ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem. Cui ab eius inquirere per nos commissum est, si quid tale se offert, in quo vita et quantiscumque facultatibus nostris ei servire possimus, ut nos nomine Celsitudinis Vestre redderet certiores.

Eum Illustrissime Vestre Celsitudini commendamus virum, qui et longe lateque se prestitit non segnem nec inglorium, hercle multos sibi sua virtute ascivit sotios[z] magnumque in nobis nomen. Hunce, ab huius nostre Reipublice avulsum servitiis, offerimus. Nec nos, ni fallimur, pudebit commendationis. Est etenim ex his, qui comendari valeat, et est item unus ex viciniorібus[d] Celsitudinis Vestre dominiis.

Itaque si facto opus erit, Celsitudo Vestra eo et nobis utatur pro voto. Plures, non humilis certe nominis viri, domi operiuntur...

Datum a Sthrykhoff, 29 Iulii 1536.

Eiusdem Illustrissime Vestre Celsitudinis
addictissimi

Stanislaus de Lasko, Miles et Consiliarius Regni
Nicolaus de Rusoczycze, Capitaneus Lenciciensis et
Consiliarius.

a) *in ms.* detorique
b) *in ms.* faterem
c) *in ms.* pretati
d) *in ms.* vitiniorіbus

z) *sic in ms.*
1) *probabiliter Ioannes Pein.*
2) *Hieronymus Łaski.*

## *N. 495.*

*Posnaniae, 29.VII.1536.*

*Andreas a Górka, castellanus Posnaniensis, Maioris Poloniae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*propter rariorem ad ducem litterarum scriptionem se excusat et pro auxilio sibi lato gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

## *N. 496.*

*Posnaniae, 30.VII.1536.*

*Andreas a Górka, castellanus Posnaniensis, Maioris Poloniae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Henricum Storch commendat petitque, ut ei dux plenam fidem in re filiorum Iacobi Korp adhibeat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

## *N. 497.*

*Vilnae, 7.VIII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de responso Camerae Imperialis a rege [Sigismundo I] adhuc ignoto; de palatino Plocensi, cui rex mandabit, ne antiquas consuetudines labefactet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quas nunc postremas accepi a Dominatione Vestra Illustrissima litteras, in iis nullam reperi schedam, unde Regiam Maiestatem, quid a Iudicio Camerae Imperialis responsum sit, docere possem.

Quod attinet ad Dominum Palatinum Plocensem[1] et eas iniurias, quas Dominatio Vestra Illustrissima sibi suisque subditis ab illo fieri scripsit, dabit ad eum Regia Maiestas mandata, ne qua in re antiquas consuetudines et publicam tranquillitatem labefactet. Et exemplum litterarum Praefecti Dominationis Vestrae Illustrissimae Neidemburgensis ad eum transmittet. Aliud nihil est in praesens, de quo mihi ad Illustrissimam Dominationem Vestram scribendum esse existimem... Vilnae, septima Augusti, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Dominationis Vestrae Illustrissimae
servitor Episcopus Plocensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *Felix Srzeński.*

N. 498.

*Vilnae, 8.VIII.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister, Alberto in Prussia duci*
*de exercitu contra palatinum Moldaviae misso; de promissis sibi a duce bombardis quanto citius Caunam deducendis.*
*(Cum annexa schedula)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum mihi contigit is tabellarius, nolui praetermittere, ut bonam valetudinem Vestrae Illustrissime Dominacionis non inviserem, quam Celsitudini Vestrae Illustrissime et foelicissimam et diutissimam praecor, ut Domino meo colendissimo. In novis rebus nihil habui, quod Vestre Illustrissimae Dominacioni scriberem. Ex Moldavia nihil novi auditur. Induciae, quae erant adeo receptae ad ferias Assuncionis Deiparae Virginis cum Palatino Moldaviae,[1] nondum expirarunt. Quid deinde innovabitur, non negligam per primum occurentem Vestrae Illustrissimae Dominacioni significare. Est nonnihil exercitus regii missum contra Palatinum Moldaviae, sed magis propter propulsandam, quam propter faciendam incursionem.

De Moschovia nondum rediit Dominus Nicodemus,[2] Nunctius regius, de quo antea Vestrae Illustrissimae Dominacioni scripseram. Speratur reditus eius circa festum Divi Bartholomei. Audire est, quod cum magna gratitudine est susceptus et decentissime tractatur.

De tormentis sive bombardis ferreis, quemadmodum mihi Vestra Illustrissima Dominacio scribere dignata erat, quod conduci Cawnam deberent pro feriis Sancti Dominici, nihil prorsus de eorum conductione audivi. Et ita rogo Vestram Illustrissimam Dominacionem, ut suis factoribus mandare dignaretur, ut diligentiam facerent, ut eo celerius Cawnam deducerentur, ut me praesente isthinc ad bona mea ducerentur. Speramus enim cito nos ad Regnum profecturos. Pudet me iam tante gratie, quam mihi exhibere Vestra Dominacio Illustrissima dignatur. Quam cum omnibus amicis meis Vestrae Illustrissimae Dominacioni mereri ad omnia placita et iussa ero paratissimus. Iam habui ibi paratos currus et equos Cawne recipere istas bombardas. Postea, si negligerem deduci haec tormenta, non haberem commoditatem illa reducere ad bona mea... Datum Vilnae, VIII Augusti, anno Domini 1536.

[a] obsequentissimus Nicolaus Volsky
Magister Curie Reginalis Maiestatis
manu propria.[b]

*Annexa schedula:*

Sciat Vestra Illustrissima Dominacio, quod iam pecunia Cawne iacet pro iis tormentis apud Dominum Eustachium, Canonicum et Plebanum in Cawno. Quantum Vestra Celsitudo Illustrissima scribere dignabitur, tantum numerabitur pro iis tormentis.

a)-b) *manu propria.*
1) *Petrus Rareš.*
2) *Nicodemus Ioannides Ciechanowiecki (vel Techonovski, Ciechanowski).*

## *N. 499.*

*Vilnae, 14.VIII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de gaudio regis Poloniae [Sigismundi I] ex civitate Hafnia electo regi Daniae in potestatem redacta; de Moschis a confinibus profligatis; de expectata Moschorum legatione; de proximo regis Poloniae Cracoviam ad Comitia abitu.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Maiorem in modum gavisa est Maiestas Regia et letata de fausto et optato nuncio Dominationis Vestrae Illustrissime, nimirum urbem Coppenhagen, quae tandiu rebellis obsidionem tolerasset, per deditionem tandem in potestatem Serenissimi Electi Regis Daniae [1] redactam esse. Nos quoque, qui hic sumus cum Maiestate Regia, plurimum ea res delectavit, ut merito debuit.

Quid hinc vicissim Dominationi Vestrae Illustrissimae perscribam non habeo, preter quod allate sunt eciam nudius quartus ad Maiestatem Regiam a Moschico confinio litere, quibus scriptum est non contemnendas Moschorum copias ab iis militibus, qui sunt in praesidiis, fusas et profligatas esse, sic ut multis caesis octoginta capti sint, inter quos sunt duo insignes captivi, Dux alter, alter Palatinus.[2] Legationem a Moschis de foedere feriendo, vel saltem de sanciendis induciis, indies expectamus.

Regia vero Maiestas brevi hinc ad Comicia Regni Poloniae cogitat. Nam ea Cracoviam ad festum Omnium Sanctorum indixit. Praeterea nihil est... Vilnae, die XIIII Augusti, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
servitor Episcopus Plocensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *Christianus III.*

2) *Theodorus Basilides Ovčina-Obolenskij et Kolyčev.*

## *N. 500.*

*Vilnae, 21.VIII.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*urget, ut bombardae promissae quam citissime, ante discessum suum in Regnum, Caunam conducantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Iam binas ad Vestram Illustrissimam Dominacionem dedi litteras, unas per cubicularium regium, alteras per quendam molendinatorem de Malborgk. Ad nullas adhuc mihi rescribere dignata est Dominacio

Vestra Illustrissima. Itaque iam misi hunc puerum meum ad Vestram Illustrissimam Dominacionem, ut possem rescire de iis bombardis, de quibus mihi litteris Sue Illustrissime Dominacionis significare dignata erat, quod debebant esse parate et Cawnam conduci pro feriis Divi Dominici, cuius festum, iam due hebdomade sunt, transiit, et de bombardis hactenus nihil certi habeo. Noster autem hinc exitus cum Serenissimis Principibus nostris in Regnum iam, quod dicitur, est in foribus. Et ita si mihi hae bombarde non fuerint adducte ante nostrum hinc exitum, non possem eas ita celeriter et commode ad castrum meum Podhaicze transmittere, sicut nunc, dum sum presens. Et ita volui hunc puerum meum mittere isthuc ad Vestram Dominacionem Illustrissimam, ut de advectione harum bombardarum Cawnam essem factus certior. Ubi iam pecunia pro iis bombardis iacet apud Dominum Eustachium, Canonicum Vilnensem, Exactorem thelonei regii in Cawno, ita sicut litteris suis Vestra Illustrissima Dominacio scribere dignata erat et ad me de conductione earum indicare per Stanczel, quem miseram ad Vestram Dominacionem Illustrissimam. Qui mihi retulit, quod eo conduci debebant bombarde prefate.

Et ita rogo, uti Dominum meum graciosissimum, ut eo celerius, antequam hinc recedimus, adducantur. Merebor hanc graciam Vestre Illustrissime Dominacionis cum omnibus amicis et liberis, quoad vivam... Datum Vilnae, feria secunda intra octavas Assuncionis [a] Deipare Virginis, anno 1536.

[b] Nicolaus Volsky Castellanus Sandomiriensis,
Magister Curie Reginalis Maiestatis manu propria.[c]

a) *praecedit expunctum:* Visitacionis
b)-c) *manu propria.*

*N. 501.*

*Vilnae, 27.VIII.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de exitu legationis Petri Opaliński ad imperatorem [Carolum V]; de rege [Sigismundo I] in Poloniam ad Comitia profecto; de proximo regis iunioris [Sigismundi Augusti] iuramento.*

*Sigill.*

*(3 annexa: 1. Ex litteris Opaliński s.d., ad regem.*

*2. exemplum litt. Cornelii Scepperi ad regem 25.VI.1536,*

*3. exemplum litt. comitis de Henneberg ad ducem Albertum, 1.VIII. 1536)*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Allatae sunt huc nuper literae a Magnifico Domino Petro Opalenski, qui regio nomine legatione fungitur apud Caesaream Maiestatem. De quibus, quod quidem ad Illustrissimam Dominationem Vestram attinet, quid confecerit, descriptum ad eandem Illustrissimam Dominationem Vestram mitto. Fusius ipse et planius, quum redierit, id quod brevi spero futurum est, omnia explicabit.

Regia Maiestas adornat iter in Poloniam ad Comitia, de quibus iam

antea Dominationi Vestrae Illustrissimae scripsi. In quibus Serenissimus Rex iunior ius iurandum subditis suis daturus est. Novarum quoque rerum quicquid preterea huc modo allatum est, omne id Illustrissimae Dominationi Vestrae impertio, longum eam sospitem et foelicem esse cupiens... Vilnae, XXVI Augusti, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
addictus servitor
Episcopus Plocensis subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Annexum I: Petrus Opaliński ad Sigismundum I:*

Prima expeditio de bello inferendo Ducatui Prussiae.

Iniuncta mihi fuerat provincia apud Imperialem Celsitudinem avertendi scilicet a bello contra Prussiam Illustres Ducem Fredericum Falczgrabium atque Theutonici Ordinis Magistrum,[1] quod se incepturos certo certius, ut ego hic intellexi, non sine maximorum assistentia instituerant.

Venerant enim huc ad aulam Caesaris in Alexandriam duo germani fratres Illustrissimi Prussiae Ducis, ex sorore nepotes Vestrae Maiestatis,[2] cum quibus ego consului, quid ea de re et audirent et quid optime factu esse intelligerent. Alter illorum mihi respondit se certo intellexisse vera haec esse de Illustrissimo Duce Frederico et Palatino Rheni Magistroque Teutonici Ordinis, atque rem voto multorum Almaniae Principum, reliqua taceo, ita esse instructam, ut et Regno et Ducatui illo[z] et bella et arma non desint. Ego deinde omni cura et studio egi solicitissime apud Maiestatem Caesaream, ut hoc bellum tollere et christiane paci et tranquillitati velit providere. Plura de ea re scribenda forent Vestris Maiestatibus, quae refferre potius quam scribere erit tutius.

Ad ultimum tandem Caesarea Maiestas pollicita est opera sua se non defuturum apud eos Principes, ut hoc bellum averti et dirimi possit. Nihil enim cupere se magis nisi pacem et concordiam omnium efficereque, ne Sue Illustritates, pro gratia imperiali, vel bello vel quocunque hostilitatis genere experiri velint aliquid contra Maiestates Vestras et ditiones Prussiae, quorum negocia non minus atque sua et propria reputare se significavit Caesarea Maiestas, et curaturam se aliquando, ut haec, quae inter Vestras Maiestates et illos sunt, ad pacem et concordiam redeant. Consulte nimis egit Serenissima Vestra Maiestas, quod tempestive et in tempore eis periculis apud Caesaream Maiestatem providerit. Non defuissent alioquin sine dubio difficultates et bella Vestris Maiestatibus Regnoque simul, de quo hic iam susurabant plurimum, atque hii maxime, qui cum nepote suo, Philipi[z] filio, huc ad Aulam Caesaris non pauci venerant, cum quo hic in aula praesente facile de ea re tractanda fuit negocium.

z) *sic in ms.*

1) *Valterus a Cronberg.*

2) *duo fratres Alberti: Georgius et Ioannes Albertus.*

*Annexum II: Cornelius Scepper ad Sigismundum I., 25.VI.1536.*

Exemplum literarum ad Serenissimum Regem Domini Cornelii in negocio Danico.

Sacra Regia Maiestas.

Quod iam aliquot dies distulerim ad Maiestatem Vestram scribere, id eo accidit, quia sepius absens fui ab hac aula propter negocia Daciae,

que propemodum ideo disperata fuerunt, quod Holandi (nescio quorum instinctu) voluerunt super hoc negocio quicquam agere. Tandem Dominus de Beures,[1] maris Admiraldus, ut Imperatori et Duci Federico Comiti Palatino inserviret, sumpsit provinciam non solum armandi tantum, nimirum navium bellicarum scilicet quadraginta duarum, verum obtulit se ipsum eciam in Daciam profecturum, ea tamen lege, ut Godtschalcus[2] et ego nos comites preberemus, ut ipsi opitulemur et consulamus. Quod ei (ut quidem par erat) non denegavimus. Itaque iam accingimur (Deo propicio) ad liberandum oppidum de Coppenhagen ab obsidione, quam terra marique tamdiu pertulit, et auxiliante Deo ita nos geremus, uti homines probos in huius modi negociis decet. Speramus nos abhinc discessuros aut octava aut decima mensis Iulii. Adducemus nobiscum in istis quadraginta duabus bellicis navibus ad minimum novem milia exercitorum militum, speramusque finem imponere istis perturbatoribus publice tranquillitatis.

Nunc vero nihil expectamus preter eos pedites Germanos, quos et nobiscum ducere statuimus, et nunc in Frisia oppidum Dam[3] vulgo dictum obsident. In quod quidem Meynardus de Hans (de quo alias scripsi ad Maiestatem Vestram) confugit. Verum Deo favente non diu poterit resistere, presertim quia oppidum Groenninga submisit se Imperatori. Dux Gheldriae[4] satis se nunc perplexum offendit. Non enim ita facile in servicio Regis Galliarum damnum resarciet, quod in Gruninge amissione passus est. Domini et egregii viri huius provinciae parant iam invadere Galliarum confinia. Peticioni, huic provinciae factae, nondum quicquam ab ipsa hactenus fuit responsum. Quamquam omnium est comunis opinio ipsam serviciis Sue Maiestatis nil denegaturam. Quod nos in certam spem erigit negocia felicem suctessum habitura. Brevi vero ipsum exitum conspiciemus. Regina[5] Godtschalcum Erici in Frisiam misit collecturum quattuor mille[z] et quingentos pedites pro expedicione Daciae, qui naves in Zelandia conscendent. Ante quorum abitum Maiestas Vestra de rebus gestis cercior per me reddetur... Datae Bruxelles, vigesima quinta Iunii.

Maiestatis Vestrae humillimus et obedientissimus
servitor Cornelius Scepperus.

z) *sic in ms.*
1) *de Bèvres.*
2) *Godeschalcus Erici.*
3) *recte: Damme.*
4) *Egmont.*
5) *Maria.*

*Annexum III. Exemplum litterarum Gulielmi ab Henneberg ad Albertum ducem 1.VIII.1536.*)*

Summa ac prompta nostra obsequia, universa omnis boni possibilitate praemissa, Illustrissime Princeps, Domine, Cognate et Affinis Dilecte.

Quum proximo nuper Mayo Embsiae,[1] haud procul a Rheno, in thermis ageremus, multi varias et miras quasdam contra Illustritatem Vestram conspirare machinationes audivimus, et praecipue postquam Comes Palatinus Federichus, Illustritatis Vestrae affinis, Regem Dacie ac Holsacie Ducem expulserit, Copenhagiam quoque defensam iure belli subegerit, mox erga Vestram Illustritatem sese vertere instituerunt. Fraterque eius, Dux Wolfgangus,[2] Theutunicorum denuo Ordinem in Prussia iterum instaurari[z] deberet. Quam practicam quasve trichas per Theutunicum hic Magistrum exteriori provincia constructas et machinatas esse voluerunt, quemadmodum et nos non dubitamus Vestram Illustrita-

tem copiosiorem huius rei instructionem cepisse. Speramus tamen Deum divina sua affulsurum gratia, quo cuique sua integra conserventur.

Cupimus praeterea omnem Vestrae Illustritatis successum scire, anque Illustritati Vestrae masculi heredes contingent. Etsi, secus, quam Illustritas Vestra cupit, eveniret, doleremus ex animo. Nobis quoque ex Dei gratia nostrisque pignoribus fortuna adhuc fauste applaudit, nisi quod graves nonnulli nobis obtingerunt[z] vicini, Elector Princeps Saxonie[3] et Hessorum Lantgravius.[4] Confidimus tamen Deum, nostrum opificem, optime adhuc omnia moderaturum etc.

Petimus insuper Illustritatem Vestram amice, Vestra Illustritas velit nobis duo alcium cornua ad futuras novo anno Lipsiae nundinas mittere. Necnon et paria duo urinorum cornuum ampla ac decora proceritate. Nam nos Schleusingiae edificavimus, ubi ad decorem habitacionum omnigena affigere cornua affectamus, eciam iusta addita succini albi massa. Etsi Illustritati Vestrae molestum non esset nos tanta petere, pariter et succini citrini resectamentorum dolium ac ungulas alcium aliquod cuperemus, quae Illustritas Vestra Lipsiam, ut supra diximus, mittere velit nosque praesenti nuncio cerciores reddere, apud quem Lipsie requirere demandemus. His Illustritatem Vestram Omnipotenti semper commendatam esse cupimus. Cui si qua in re amice prodesse sciremus, indefessi semperque parati erimus. Haec Illustritati Vestrae privata quadam et plane amica ac cognatali benevolencia non indicare non potuimus. Date Mansfeldt,[a] dominica post Vincula Petri. Anno 1536.

Dei gratia Guilelmus Comes ac Dominus
ab Hennebergk.

a) *in ms.* Masfeldt

z) *sic in ms.*

1) *Ems.*

2) *Volffangus frater Friderici II, pal. Rheni.*

3) *Ioannes Fridericus, elector, dux Saxoniae.*

4) *Philippus, landgravius Hessiae.*

*) *originale eiusdem litterarum invenitur in Archivo Regiom. H B A, A 2a.*

*N. 502.*

*Vilnae, 29.VIII.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister, Alberto in Prussia duci*

*iterum instat, ut bombardae quam celerrime Caunam adducantur, refert de rege Cracoviam profecto; de Moscovitis captivis Vilnam adductis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum isthuc proficisceretur is cubicularius regius, nolui praetermittere bonam valetudinem Vestre Illustrissime Dominacionis invisere, quam Celsitudini Vestre diutissimam et foelicissimam praecor in multos annos. Misi nuper isthuc ad Illustrissimam Dominacionem Vestram puerum meum de iis bombardis ferreis, que pro feriis Divi Dominici parate esse debebant, quemadmodum mihi Vestra Illustrissima Dominacio scripserat et indicaverat, de quibus hactenus nihil comperti habeo. Et noster hinc exitus est in quattuor septimanis ad Comicia Regni, quae indicta sunt

Cracoviae pro feriis Omnium Sanctorum. In quibus Serenissimus Rex Augustus iuramentum omnibus Ordinibus Regni spiritualis et secularis condicionis praestare debebit. Itaque si hec tormenta non fuissent huc advecta ante nostrum hinc exitum, non possem illa transmittere ad castrum meum Podhaycze citra magnam difficultatem meam. Itaque Vestram Illustrissimam Dominacionem rogo, ut eo celerius transmitterentur, antequam se hinc movebimus.

De Domino Nicodemo, qui Nunctius est in Moschoviam missus, nihil prorsus auditur de eius reditu. Heri adducti sunt captivi Moschovite, due Palatini, Obolanczki[1] et Coliczow,[2] cum aliis captivis, qui conflicti sunt et capti sub Cryczow[3] castro. In quo conflictu nulli Moschovite cesi sunt... Datum Vilne, feria tercia in crastino Sancti Augustini, 1536.

Pecunia pro tormentis et vectigali, prout Vestra Illustrissima Dominacio scribere dignabitur, iam est apud Dominum Eustachium, Canonicum Vilnensem in Cawno, qui solvet omnia iuxta litteras Vestre Illustrissime Dominacionis.

[a] Nicolaus Volszky Castellanus Sandomiriensis,
Magister Curie Reginalis Maiestatis manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *dux Theodorus Basilides Ovčina-Obolenskij.*
2) *recte: Kolyčev (vel Kolyčov).*
3) *recte: Kričev.*

*N. 503.*

*Ławy, 1.IX.1536.*

*Stanislaus Ławski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro subdito suo intercedit.*

*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.360.*

*N. 504.*

*Vilnae, 3.IX.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*prosperum iter duci precatur; operam suam pollicetur duci, consorti ipsius, filiae et omnibus subditis Ducatus Prussiae.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

*N. 505.*

*Vilnae, 4.IX.1536.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut dux apud marchionem Ioachimum Brandenburgensem electorem impetret cautionem de accepta pecunia.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Scripsi antehac ad Illustrissimam Dominationem Vestram, perficeret

Dominatio Vestra Illustrissima apud Illustrem Dominum Ioachimum Marchionem Brandemburgensem suasu et consilio suo, ne is recusaret Regie Maiestati cautionem dare de accepta pecunia secundum formulam, quae ad ipsius Dominationem Illustrissimam per Dominum Severinum Boner transmissa est. Nunc iterum opto a Dominatione Vestra Illustrissima, ut id Regiae Maiestatis causa praestet, ne si id factum non erit aliquid offensionis aut simultatis ex ea re suboriatur, quod amicitiam et necessitudinem mutuam labefactet. Fecerit in eo Dominatio Vestra Illustrissima officium suum, si dederit operam, cuius affinitatis conciliandae author fuit, eam affinitatem ut mutua benevolentia indissolubili vinculo devinciat. Ego vicissim, quicquid Dominatio Vestra Illustrissima iusserit, lubens faciam... Vilnae, quarta Septembris, anno Domini MDXXXVI.

[a] Eiusdem Dominationis Vestre Illustrissime
addictus servitor Episcopus Plocensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 506.*

*Vilnae, 4.IX.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, curiae reginalis magister, Alberto in Prussia duci*

*pecuniam pro bombardis, nondum Caunam adductis, iam persolutam esse significat urgetque, ut quam celerrime adducantur, ante suum Vilna in Regnum discessum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Habui binas a Ducali Celsitudine Vestra litteras, unas per Dominum Foelicem,[1] aulicum Illustrissimae Dominacionis Vestrae, alteras mihi hodie portavit puer meus, quem propter has bombardas ad Illustrissimam Dominationem Vestram miseram. Ex quibus nihil certi de iis tormentis intelligere potui, pro quo tempore Cawnam adduci deberent. Puer etiam meus nihil mihi scivit narrare de ipsis tormentis, asserens quod Vestra Illustrissima Dominacio non permiserit illi Gedanum ire. Itaque Vestram Illustrissimam Dominacionem summopere rogo, ut dignaretur eo celerius has bombardas Cawnam mittere, quo hic essent ante festum Sancti Michaelis, ante nostrum hinc exitum. Si enim post festum Divi Michaelis adducerentur, quum hinc proficiscemur, non possent me absente ita commode et secure ad castrum meum Podhaycze in Russiam conduci. Pudet me certe plurimum, quod tantum oneris imposuerim Illustrissime Dominacioni Vestrae et quod ita sepenumero meis scriptis tedium pario Vestrae Illustrissimae Dominacioni. Pecunia pro iis bombardis iam est persoluta Domino Nypschycz, quemadmodum Vestra Dominacio Illustrissima indicavit ad me per Dominum Foelicem, aulicum suum. Et alia quoque pecunia erat deposita Cawnae apud Dominum Eustachium, sicut prius scribere dignata erat Vestra Illustrissima Dominacio.

Itaque cum Vestra Illustrissima Dominacio mittere dignabitur has bombardas, mandet, ut non faciant difficultatem vectores occasione solucionis harum bombardarum, quas Cawne suscipiet Dominus Eusta-

chius, et in absentia eius, Casper civis Cawnensis, qui mihi eadem hora has bombardas de Cawna Vilnam transmittere debet, quam primum ibi adductae fuerint. Habui iam binas podvodas a Domino Duce Helia [2] et a Domino Capitaneo Wlodimiriensi pro reducendis iis bombardis, quas remittere sum coactus non sine impensis, ita ut tantundem fere exposuerim pro podvodis et viis, quantum pro bombardis, et iam plus pensabunt expense quam bombardae, pro quibus etiam atque etiam rogo, ut eo celerius mitterentur.

Reliqua fusius per Dominum Foelicem, aulicum Illustrissimae Dominacionis Vestre, indicavı. Datum Vilnae, IIII Septembris, anno Domini 1536.

[a] Obsequentissimus servitor
Nicolaus Volszky Castellanus
Sandomiriensis et Magister Curie
Reginalis Maiestatis manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Felix ab Allen.*
2) *Ostrogski.*

*N. 507.*

*Vilnae, 22.IX.1536.*

*Nicolaus Wolski, castellanus Sandomiriensis, reginae Poloniae curiae magister,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro tormentis bellicis et globis tormentariis ferreis gratias agit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Adducta sunt mihi tormenta bellica, missa ab Illustritate Vestra, item et duo cum ferreis globis, quae Illustritas Vestra mihi dono mittere dignata est. Adducta autem oportune, priusquam hinc cum Serenissimis Principibus [a] meis abirem. Unde mihi ea praesenti ad arcem meam transmittendi multo commodior dabitur facultas. Pro qua tam eximia genuinaque gratia et munificentia atque humanitate Illustritati Vestrae immortales ago et habeo gratias. Non eram equidem adeo impudens, ut id negocii Vestrae Illustritati, tanto Principi, imponerem, sed quum ipsamet Illustritas Vestra, pro sua in me gratia singulari, accipere curandum non fuit dedignata, non possum non fateri me illi ob hoc vehementissime obligatum esse. Cui si qua in re gratificari et inservire potero, fidem et diligentiam meam addico et offero paratissimam... Vilnae, die XXII mensis Septembris, anno Domini MDXXXVI.

Eiusdem Illustritatis Vestrae deditissimus servitor
[b] Nicolaus Volszky, Magister curiae Maiestatis
Reginalis, manu propria.[c]

a) *in ms.* Principis
b)-c) *manu propria.*

*N. 508.*

*Przedecz, 2.X.1536.*

*Nicolaus Russocki, castellanus Biechoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*gratias agit pro benevolentia erga se ducis, de qua sibi Chodowski, necessarius suus, a duce redux, narravit; commendat puerum quendam consanguineum suum, per eundem Chodowski duci concreditum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

*N. 509.*

*Cracoviae, 6.XII.1536.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de inquirendo Bernardo Russocki sub capitaneis ducis in Daniam profecto.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.360.*

Illustrissime Princeps, *etc.*

Annos abhinc duos serviebat quidam in aula Illustrissimae Dominationis Vestrae nobilis adulescens Bernardus Russoczki, qui deinde in militiam ad Regnum Datiae profectus est, atque ob id amici eius inter spem et metum sunt, incerti de vita eius. Eam ob rem rogatus rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, dignetur aliquibus ex suis eius inquirendi diligentiam mandare. Facile enim isthic investigari potest, num vivat, ex quo cum Capitaneis Illustrissimae Dominationis Vestrae ille se militiae consecraverat. Facere in hoc dignabitur Illustrissima Dominatio Vestra rem piiam. Parentes enim eius adulescentis mirifice anxii et suspensi sunt, quod nihil de [a] illo sciant. Merebuntur id gratiae de Illustrissima Dominatione Vestra, et ego una quam obsequentissime... Datum Cracoviae, ferii Divi Nicolai, anno Domini MDXXXVIto.

[b] servitor
Ioannes Comes in Tarnow,
Castellanus Cracoviensis subscripsit.[c]

a) *supra lineam.*
b)-c) *manu propria.*

# 1537

*N. 510.*

*Janowiec, mense Ianuario, 1537.*

*Stanislaus Łaski, castellanus Przemętensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum dono mittit rogatque, ut servitor, qui eum adduxit, cito remittatur.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Si Lodovicus, Gallorum Rex sapiens, oblatas quondam rapas dono actepit et grate, non munera (que vulgus notat), at animos metitus,[z] omnibusque sequuturis magnatibus pulchrae exemplar humanitatis quoddam relinquerit,[z] non dedignabitur quoque Celsitudo Vestra parvum hoc, quod a me mittitur, acteptare. Mitto Celsitudini Vestrae eum, qui ab anno Cracowiae sub me eius Celsitudini placuerat, equum. Quem ita commendari velim, quasi eum, qui tanto Principi[a] ex nulla parte dignus esse potest aut commodus. Verum illud quippe diffiteri non potero. A candido missus serviat pectore, vel leviusculos alios Celsitudini Vestrae educat, vel levi illam deferat passu. Celsitudo Vestra non rapas, sed meum in se notare dignabitur cor.

Idque, quod aliis nunc meis exposco litteris, ne Celsitudini Vestrae grave videatur supplico, utque hic servitor meus et citto et clementer a Celsitudine Vestra redeat, humiliter exposco. Nam si unquam alias, nunc certe talibus egeo. Et tempori Vestra Celsitudo id, quod visum fuerit, pro libito ac gratia sua in hac re factura est... Datum in Janvycz, 1537.

Celsitudinis Vestrae addictissimus
Stanislaus de Lasko, miles et consiliarius subscripsit.

*In dorso:* 24 jan.

a) *correctum ex:* Principe
z) *sic in ms.*

N. 511.

*Cracoviae, 15.I.1537.*

*Iacobus Bartnicki de Międzybórz, castellanus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de iure praesentationis ad officium parochi ecclesiae Narzymensis, quam « suam » esse dicit; petit, ut dux reditum suum exspectet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

... Illustrissime ac Excellentissime Princeps *etc.*

Allatum est ad me Cracoviam his proximis diebus X Kalendas Ianuarii mandatum Illustrissime Dominacionis Vestre de dando et presentando parrocho ad ecclesiam meam in Narzim. Quod quidem mandatum, quemadmodum durum nimis ac severum erat, ita non potuit non vehementer perturbare me, Illustrissime Dominacionis Vestre subditum. Nihilominus tamen pro ea virtute simul et obediencia, qua sum Illustrissime Dominacioni Vestre obstrictus, ab eisdem Illustrissime Dominacionis Vestre mandatis ne latum digittum discedere volo. Quia autem, Illustrissime ac Excellentissime Princeps, Domine et Domine Clementissime, a bonis illis meis Narzimensibus et longe nunc absum et Comitiis Regni, tam mandato regio, quam etiam racione dignitatis, ad quam sum beneficio Sacre Regie Maiestatis evectus, una cum ceteris Consiliariis interesse cogor, ut nequaquam quicquam tam subito prestare, aut me cum rebus meis resolvere possum, supplico humiliter Illustrissime Dominacioni Vestre, Domino meo clementissimo, dignetur pro ea, qua est in omnes clemencia, eam michi demonstrare gratiam, ne prius ad hoc Illustrissime Dominacionis Vestre mandatum presentandi parrochum astringar, donec absolutis publicis Regni necessitatibus redeundi rursus domum facultas dabitur. Quod cum primum factum fuerit, mandatum Illustrissime Dominacionis Vestre nequaquam negligam, quin potius sedulo id facere contendam, quod mihi, homini christiano, Illustrissime Dominacionis Vestre subdito, faciendum phas piumque fuerit... Datum Cracoviae, die quinta decima Ianuarii, anno Domini MDXXXVII.$^{mo}$

Eiusdem Illustrissime ac Excellentissime Dominacionis Vestre
servitor et subditus deditissimus
[a] Iacobus Bartnyczki de Miedzyborz, Castellanus Plocensis
manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 512.

*Janowiec, 16.I.1537.*

*Stanislaus Łaski, castellanus Przemętensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotiis ducis in Senatu nihil actum esse refert; item de legatione fratris sui Hieronymi ad regem Romanorum [Ferdinandum I]; de periculis Christianitati ex Turcis impendentibus; de Cassovia capta Hungarorum dolo; equum parvum vel duos sibi dari petit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Foelix[1] ille, nomine Celsitudinis Vestre Cracoviam missus, meas

ad Celsitudinem Vestram actepit litteras. Ex quibus (si quidem reddite sunt) intelligere sane dignata est (tametsi brevis sum in omnibus et lubens) nil tum in Senatu de Celsitudinis Vestre negotiis (quod nobis, medii ordinis Consiliariis, cognitum fuisset quidem) actum constitutumque esse. Res enim illa curabatur Regni, vel quam publicam dicunt. Magnaque (etiam me teste) regnicolae a Principe postulabant ea, que illis aut errata aut detecta videbantur. Ipsaque usque num protrahuntur. Ego autem mox post fratris, Domini Pallatini, ad nos adventum domum ire constitui, ac impetrata a Rege meo venia, domi sum, ne inter tot magna aliorum claraque, que sunt passim, ingenia frustra ex arena nexisse videar funiculos.

Significarem equidem Celsitudini Vestre non gravatim, quam unam eamque et primam incliti huius Regni partem membrumque scio, quid hic attulerit conventus spei. Verum nec tanti sum, ut cognoscendis rerum eventibus vel tantillum iure mihi tribuere queam, nec utrum natum quidpiam celebri,[z] adhuc intelligo. Aliis hec significanda relinquo. Cuperem tamen, pro mea in Principes meos humili devotione, ac in rem, sub qua natus sum sub debito, ut amore geratur, non imperio administracio omnium. At hec longe aliorum cura est, non mea. Mirum tantum est, quam undequaque gemat orbis. Ad nostra redeo.

Frater ea legatione hoc, nomine Romanorum Regis, attulisse videtur. Petit primum a Maiestate Regis nostri, ut communi cristianorum quieti consulat componatque cum Moldavo, quem cristianum quoque et quidem suum (cui defuturum se nequaquam spondet) subiunxit esse. Non iam habita Moldavi ratione, non in ipsius item Romanorum Regis gratiam, sed ne vel sic undelibet arrosa male Cristianitas facilius eo advenienti Turchae possidenda veniat. Monet insuper Sua Romanorum Maiestas Principem nostrum cavere velit sub hac, quam attullimus, pace[a] nostra Regno sibique Thurcham venturo hoc Maio (nisi inverterit miserator Dominus) mari sub Carthaginem, que Thunys est, inde Sardynyam, Calabriam, Sycylyam, Neapolim validissimum Barbarossa duce transmissurum exercitum. Alias autem terra numerosas copias ipse persona ducturus est sua, duabus, ut scribitur, viis. Quarum altera iam notior per tot iam laceram animis Hongariam, altera per Sclavoniam iturus.

Hec aliunde etiam ita se habere scimus. Romanorum autem Regis Maiestas omni opera novi se aliquid magni facturum insinuat. Quod faxit opus, quo vel tot tandem cogitata annis prodeant somnia, at fauste bonisque avibus. Verum (ni allucinor) illud non humane opis ingeniique est, sed miserentis Dei, meritoque nos sic agitamur homonciones, tamen prophanaverimus sponte omnes voluntates Eius.

Hec missa quoque facio. Cassoviam, ni fallor, Celsitudo Vestra genuino Hongarorum dolo captam audivit, urbem equidem inter illas nomine meniisque primam. Hec res male audit. Dum enim Germani, que Cristi honestique studiosior est natio, rexerant, nemini nisi Ioanni solo[z] Regi ab illa metuendum erat. Nunc, ubi in Hongarorum prolapsa manus, ne vel in cruentiores etiam prostituatur, metuamus necesse est. Hanc bono sane consilio recuperandam frater se submiserat, si tempori ei succursum fuisset. Verum, si usque alias, in bello certe fallit obestque mora, et nocivius. Neggligitur[z] sepius, quod non distulisse referebat, nec quantumvis magno, neglecta semel, auro redit oportunitas. De hac

quoque nonnihil frater Maiestati Regis nostri consuluisse voluit. Hecque brevis fraterne legationis summa.

Maiestas Romanorum Regis mihi per fratrem meum sua aliqua comunicare dignata est ac quingentorum equitum legavit munus, cum aliis et iterum conditionibus non iniquis. Ego, qui me Principi, sub quo vixi, meo plus ceteris deberi tenerique sentio, consulto requisitoque facere volui, ne quid insciis (quod aiunt) diis egisse videar, maxime cum eius Maiestati constasset me Celsitudini quoque Vestre spopondisse. Cuius equidem rei summa mihi ad manum est, cum mandabitur, semper. Nolui et irrequisita Celsitudine Vestra quoque, ita ex prerupto, quidquam de ea ipsa re, satis utcumque honorifica, statuere, quoad a Celsitudine Vestra redditus fuissem certior. Ad me enim maxime pertinere putabam illudque quodamodo[z] honori fideique mee constabat, si quid illius Celsitudinem per se habere intelligerem, sponsioni me mee accommodare, ne vel levitatis (quod procul sit), vel ingratitudinis succubuissem notae.

Quapropter nunc, Inclite Princeps et Domine Clementissime, mihi ipsi in hoc placeo, Celsitudinem Vestram diligentissime saluto et queso me commendans, tametsi nullus mei nec pace nec bello usus, dignetur suarum me rerum reddere participem. Scio Fridericum[2] nunc male gestis nuper suis mederi velle. Si quid est, in quo eius Celsitudinis honori usuique esse possim, in me non deerit quidquam. Ocius facultas deseret forsan, quam candor affectusque in Celsitudinem Vestram meus.

Sin vero nunc res me Celsitudinis Vestre paulisper ludere patiuntur, itidem divina primum ope, Celsitudinis Vestre diligentia culte cupio quoque fieri cercior, sed et ducto (ut ferunt) callo abstersoque pudore, Celsitudinem Vestram supplicandam volui presentibus, cum nos alia interim curare velit Dominus, nec ipse, ut statueram, Celsitudinem Vestram salutasse potui coram, Celsitudo Vestra, non pro meis hercle in se meritis, at pro sua illa gratia, equum bonum parvum, non ex illis inquam ingentibus et gravibus, vel si quidem duo parvi esse possint, qui iter ferre valeant laboresque, mittere dignetur. Non enim nisi magna abstersit pudorem ratio, suasitque illa etiam ipsa ratio non impudicum videri vel duos simul petiisse. Quum totus ego Celsitudinis Vestre sum, qualis qualis sim, promereri curabo. Item amo et veneror adeo, quod duos postulasse parvos non erubeam. Quidquam enim apud nos est, Celsitudini Vestre nimirum gratum, sine ruga Celsitudinis futurum est Vestre perpetuo.

Semper enim Vestre Celsitudinis, quocumque nos traxerint fata, memor vixero fidusque... Datum in Janvycz, 16 Ianuarii 1537.

Celsitudinis Vestre addictissimus
Stanislaus de Lasko, miles et consiliarius regius

Presenti latori meo apud Celsitudinem Vestram mea manus ac littere fidem facient.

a) *in ms.* pate. *Stanislaus Laski et alioquin saepe scribit* t *pro* c, *v.g.* fatere *pro* facere notivius *pro* nocivius, otius *pro* ocius, impretor *pro* imprecor, comunitare *pro* comunicare *etc. In eiusmodi casibus semper transcribimus* c

z) *sic in ms.*

1) *Felix ab Allen.*

2) *probabiliter sermo est de Friderico pal. Rheni.*

## *N. 513.*

*Cracoviae, 16.I.1537.*

*Andreas a Górka, castellanus Posnaniensis, Maioris Poloniae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut servitor ducis, Alexander Kurtzbach (Curtzbach, Corsbok), agasonem Simonem, pollicitationibus seductum et abductum, sibi restituat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

## *N. 514.*

*Cracoviae, 17.I.1537.*

*Martinus Cromerus*
*Alberto in Prussia duci*
*vere proximo in Italiam* excolendi ingenii gratia *profecturus, servitia sua duci ibi praestanda offert.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Permultum cepi voluptatis e literis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, humanissime ad me scriptis. Nam quum id magnopere semper studeam, ut observantiam meam Illustrissimae Celsitudini Vestrae probem, periucundum mihi fuit Illustrissimam Celsitudinem Vestram Phocylide meo et officio, quo eum libellum Illustrissimae Celsitudini Vestrae nuncupavi, esse delectatam. In quo vertendo quantum ego praestiterim, aliorum esto iudicium. Sed autor ipse certe dignissimus est bibliotheca Illustrissimae Celsitudinis Vestrae.

Novarum rerum quod hinc Illustrissimae Celsitudini Vestrae perscribam, non perinde nunc multum est. Tum si quid est eiusmodi, rectius id Illustrissima Celsitudo Vestra ex aulico suo, Domino Foelice ab Alten, cognoscet, quam ego possem describere. Illud non praetermittendum mihi esse putavi, quin Illustrissimae Celsitudini Vestrae describerem constituisse Dominum meum Reverendissimum,[1] ut me vere proximo ad Italiam excolendi ingenii gratia mittat. Ibi si qua in re Illustrissimae Celsitudini Vestrae servire potero, faciam quam libentissime, nihil parcendo neque operae neque diligentiae. Quanquam vereor, ne illud iter meum praepediat, quod constans hic fama est, Caesarem et Regem Gallorum in mutuum excidium se devovisse ac iureiurando obstrinxisse. Tum quod Turca fertur cum valido exercitu aestate hac recta Italiam petiturus et cum Gallo vires coniuncturus. Tamen ego, ubi ero, semper in aere Illustrissimae Celsitudinis Vestrae futurus sum... Cracoviae, 17 Ianuarii 1537.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
deditissimus
Martinus Cromerus.

1) *Stanislaus Hosius.*

N. 515.

*Cracoviae, 18.I.1537.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*refert imperatorem [Carolum V] in Hispaniam venisse; regem Ferdinandum profectum esse Pragam, ut cum Bohemis tractet; regem Ioannem copias contra regem Romanorum parare; de sua in Moldaviam missione; de Dieta Cracoviae congregata.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Oblate sunt mihi hodie littere, quas ex arce sua Rheyn VI presentis die Vestra Illustrissima Dominacio scripsit, quibus optat Vestra Illustrissima Dominacio, ut illi rerum aliquid novarum perscriberem, quandoquidem raro ad illam talia perferantur etc.

Ago itaque Vestre Illustrissime Dominacioni gracias, quod mei apud se racionem habeat litterisque sic suis graciosissime inviserit, id quod ipse perpetuis meis officiis Vestre Illustrissime Dominacioni remerebor.

Porro quod res novas attinet, quarum nunc apud me parva materia est, tamen brevibus ea, que habeo, perstringam. Cesarea Maiestas Hispanias salvus et incolumis apulit estque Barcelone unacum coniuge et provincialibus suis, incumbens in hoc, ut ad primam veris commoditatem Italiam repetat atque bellum cum Cristianissimo Francie Rege transigat. Est tamen nunc in tractatibus concordie eadem controversia, non sine quadam firma spe future inter illos pacis. Id quod Dominus Deus concedat! Nam si quando Respublica[a] Cristiana mutua concordia et coniunctione eguit, nunc certe maxime eget, utpote cum Turca ad instantem estatem maximo apparatu invadere Hungariam atque Budam sibi ipsi vendicare decreverit. Progressus est ob eam rem ex Constantinopoli atque in Andrinopolim[z] advenit, ubi maxima diligencia et furia incumbit rebus ad bellum atque expedicionem suam necessariis.

Serenissimus vero Romanorum Rex, Dominus meus clementissimus, agit alia a parte omnia, ut tanto hosti resistere posset, hisque preteritis diebus obambulavit Sua Maiestas omnes suas australes provincias atque inter illos[z] Diettas celebravit. Nunc etiam proficiscetur Eius Celsitudo Pragam, ut ibi etiam cum Dominis Boemis Moravisque ac Slesiis transigat. Tamen hoc confidenter Vestre Illustrissime Dominacioni scriptum esse volo. Quod ipse considero futuram nonnullam negligenciam, ita ut ad debitum tempus et locum defensioni contra Turcam consuli non possit. Id quod ex animo doleo, quod ista precipue causa me ad servicia Sue Maiestatis adduxit, ut misero Regno Hungarie in tempore consulatur. Et licet Sua Maiestas consilium belli contra Turcas gerundi per me declaratum acceptavit atque ad eum scopum, prout ipse suasi, sagittas suas intendit, tamen, ut dixi, negligenciam timeo. Summa autem belli Turcici plus est in tempore et locis observandis, quam in multitudine militum sita.

Rex vero Ioannes, Cassovia arte et dolo intercepta, agit cum aliis civitatibus, ut ad se deficiant, necnon etiam exercitum cogere apparat. Contra quem Serenissimus Dominus meus Romanorum etc. Rex aliquas

nunc copias eduxit, iamque versus Cassoviam et partes illas tendunt. Me etiam huc misit, ut inducias inter Moldavum et hanc hic Maiestatem Regiam stabilirem et alia quedam tractarem, que omnia iuxta Maiestatis Sue voluntatem transacta sunt. Rogavit etiam Sua Maiestas, ut illi ex hoc Regno 2000 equitum peccuniis conducerem. In quibus etiam nulla erit difficultas, si peccunie aderunt.

Hic autem in ista presenti Dietta, nihil dum decretum aut constitutum est, et plus solito nostratum studia fluctuant atque adeo hic mihi involuta esse negocia videntur, ex quibus presertim expectandum sit aliquod bonum, ut non absque periculo revolvi possint, ingressique sunt quidam in talem labyrinthum, ex quo egredi nesciunt etc. etc. etc.

Que vero hic Illustris Dominus Comes Palatinus[1] sit assequutus, alios scio Vestre Illustrissime Dominacioni scripturos. Ego vero cras aut altera hinc die solvam et ibo recta ad Serenissimam Romanorum Regis Maiestatem. Unde quicquid rerum novarum habuero, aut scitu Vestre Illustrissime Dominacionis dignum intellexero, id totum Vestre Illustrissime Dominacioni fideliter perscribam... Datum Cracovie, 18 die Ianuarii 1537.

Servitor Hieronymus de Lasko etc.
manu propria.

a) *in ms.* Republica
z) *sic in ms.*
1) *Fridericus, pal. Rheni.*

*N. 516.*

*Szamotuły, 20.I.1537.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris et pro ferinis, ad valetudinem valde servientibus, sibi dono missis, gratias agit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.361.*

*N. 517.*

*Cracoviae, 27.I.1537.*

*Andreas Krzycki, archiepiscopus Gnesnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro vexillifero Varsaviensi Stanislao Ławski, cui praefecti ducis, Likensis et Pissensis, in bonis eius iura et privilegia violant.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 518.

*Cracoviae, 28.I.1537.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Stanislao Ławski de Grabowo, causa bonorum suorum in Ducatu Prussiae sitorum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 519.

*Cracoviae, 31.I.1537.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Stanislao Ławski de Grabowo, causa bonorum suorum in Ducatu Prussiae existentium.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 520.

*Cracoviae, 31.I.1537.*

*Andreas a Górka, castellanus Posnaniensis, Maioris Poloniae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Stanislao Ławski de Grabowo, causa bonorum suorum in Ducatu Prussiae existentium.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 521.

*Cracoviae, 8.II.1537.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*nobilem Brzozowski commendat, bona quaedam in Ducatu Prussiae habentem, ut a certis oneribus super eis pendentibus liberetur.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 522.

*Cracoviae, 9.II.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Stanislao Ławski de Grabowo, causa bonorum suorum in Ducatu Prussiae existentium.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

N. 523.

*Vratislaviae, 12.III.1537.*

*Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de discordia inter imperatorem [Carolum V] et regem Galliae [Franciscum I], a sultano Turcarum sobillata; de regis Romanorum firmo proposito Budam tuendi; de militibus ei ex Prussia conducendis; de imperatoris congressu cum principibus electoribus; de pontificis crescente erga Galliam propensione.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non sum nescius videri ipse, quocies de rebus novis aliquid Vestre Illustrissime Dominacioni comunico, aquam mari infundere, utpote quum ex omnibus longe lateque partibus uberrimus litterarum confluxus ad illam fluat. Tamen ut testimonium saltem fiat mei erga Vestram Illustrissimam Dominacionem amoris et propensionis, consuevi semper meas etiam ad illam dare, in eisque nonnumquam declarare talia, que mihi illius scitu videntur necessaria fore. Id quod et per presentes prestabo paucisque res aliquas perstringam.

Ubi nullum apud me dubium est intellexisse Vestram Illustrissimam Dominacionem, quam dispares habeant animos ad concordiam Serenissima videlicet Cesarea Maiestas ac ipse Cristianissimus Francorum Rex, qui nunc studia sua in id habent arrecta, ut validissimis copiis alter alterum evertat. Imperator vero Turcarum [1] omni arte insistit, ut in eo belli ardore Francorum Regem non animet solum, verum etiam terra marique [a] adiuvet, fitque mirabilis undique armorum fervor et strepitus. Turcarum Imperator iam Andrinopolim processit, ut sic se magis propinquiorem Hungarie exhiberet. Qui hoc unum in animo habet, ut hac estate Budam capiat ibique ad futuram hiemem hibernet, et ad aliam estatem Italiam tendat ibique personaliter cum Francorum Rege conveniat. Serenissimus vero Romanorum etc. Rex, Dominus meus clementissimus, sciens eiuscemodi Turcicos conceptus, tametsi Budam non habeat, non aliter tamen illam tueri vult, ac si esset in manibus suis, iamque magna ad hoc preparamenta fecit et indies facit, ut terra, ut Danubio tanto hosti resistat. Cui provincie sue australes sumptu illarum

binam bellicam expeditionem prestiterunt: unam, cuius est ductor Dominus Ioannes Gacianner, qui cum 6000 militum ad confinia Bossne proficiscitur; aliam in Danubio, cuius etiam ductor erit Dominus Wilhelmus a Rogendorff, Magister Curie et Consiliarius Sue Maiestatis, qui etiam [b] 6000 militum ducet, inter quos futura sunt 3000 Hispanorum archebusonum. Boemi, Moravi atque Slesii alacriter etiam copias suas offerunt. Ad quos ipse nomine miserorum Regni Hungarie Ordinum [c] orator proficiscor oratum et obtestatum, ne, si ullam cristiane pietatis scintillam habent, paterentur nobilissimum illud Regnum deglutire. Est enim nunc Prage earum omnium provinciarum Dietta, que sub cura Boemie Regni sunt.

Ubi [d] alioqui fuissem profectus, etiam si orator non fuissem missus. Vocaverat me enim Serenissimus idem Dominus meus Rex eo propter conducendas nonnullas copias, presertim vero equites levis armature, quorum ex Regno Polonie Sua Maiestas 2000 habere vult. Petiit etiam illius Celsitudo, ut ducerem 400 equites gravis armature, eosque ut in Prussia ac Pomerania conducerem. Id quod ipse Maiestati Sue polliceri nolui, utpote qui id preter Vestre Illustrissime Dominacionis opem et favorem exequi nescirem. Quum autem nunc Prage tractandum erit pro his, rogo velit Vestra Illustrissima Dominacio dare mihi modum et assensum suum, ut ex dicione Vestre Illustrissime Dominacionis 200 equites bonos habere possem, qui stipendium habebunt eiuscemodi, sicuti habent nunc illi, qui his diebus ex Augustria [z] in Hungariam ducti sunt, hoc est, omnibus computatis, dabuntur 12 floreni ad unum equum per mensem. Damna tamen solvuntur nulla. Tali condicione nunc Comes Iulius de Hardek 300 duxit. Duxerunt etiam et alii. Et pro hoc rogo cittam et graciosam ab Vestra Illustrissima Dominacione relacionem.

Porro ut ad nova redeam, sciat Vestra Illustrissima Dominacio dominica Reminiscere fuisse Passovie Maiestatem Regiam unacum cum Ducibus Bavarie [2] et Palatinis Reni [3] secularibus et spiritualibus atque Cardinali Salczburgensi.[4] Ubi tractatum est de ista contra Turcam expeditione concludique debuit de Generali huius belli Capitaneo. Maiorque pars Illustrissimum Dominum Ludovicum Bavarie Ducem acclamavit, neque etiam Rex ab hoc fuit alienus propter multos respectus. Silencio tamen adhuc est tectum,[e] quid ibi sit determinatum, nam amici mei, quos in curia habeo, nihil mihi certi scribere potuerunt, scribentes non prius id in publico futurum, nisi primum sciatur, quas copias Boemia Moraviaque ac Slesia sint dature. Intra tamen octo dies omnia dispiciam et Vestre Illustrissime Dominacioni probe perscribam. Pontifex [5] videtur nunc magis esse Gallicus quam unquam antea. Is etiam Concilium agere sub his bellis statuit. Tamen sunt aliqui male ominantes futuram eius rei nullitatem. Alia non sunt... Wratislavie, feria secunda post dominicam Letare, 1537.

Servitor Hieronymus de Lasko etc.
manu sua.

a) *in ms.* mairique

b) *sequitur expunctum:* sed

c) *sequitur expunctum:* proficiscor

d) *sequitur aliquod verbum expunctum:* etiam (?)

e) *correctum ex alio verbo longiore.*

z) *sic in ms.*

z) *sic in ms.*

1) *Solimanus II.*

2) *duces Bavariae: Ludovicus et Gulielmus.*

3) *probabiliter « Moguntia, Wormatia, Trevirum » et comes pal. Rheni.*

4) *Matthaeus Lang.*

5) *Paulus III.*

N. 524.

*In Lasko, 13.III.1537.*

*Stanislaus Łaski, castellanus Przemętensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro equis gratias agit; de fratre suo Hieronymo, a rege Romanorum [Ferdinando I] Pragam vocato, refert; de pontificis cum rege Galliae amicitia; de tumultibus in Germania.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Affectatum esset forsitan unis se et eisdem semper comendasse verbis. Desinam itaque, cum illud iam Celsitudini Vestre notum, ni fallimur, clarumque sit nos eius fuisse semper futurosque perpetuo. Non est cur illis utamur, quibus non rerum, at sermonum viri uti consueverunt. Ago igitur primum Celsitudini Vestre, Inclito Principi meo ac Domino, gracias pro missis equis, qui miri beneficii loco sunt. Eis usurus, si quando Deus nobis pulsandi sue Crucis inimici copiam dederit.

Frater meus nunc iterum per Serenissimum Romanorum Regem vocatus Pragam volat. Domi hic mecum commoratus biduo. Incredibili de Celsitudine Vestra animo, incredibili et affectu, contulimus mutuo. Ut enim fateamur verum, duplicaret animos Celsitudinis Vestre clemens nobis presencia. Eo actum est, quod temere forte, sed intra nos de Celsitudine Vestra Romanorum Maiestati socianda disputaverimus.

Unde et frater presentes ad Celsitudinem Vestram dedit. Recte enim Celsitudo Vestra divinari dignata est, non scripturum fratrem tantisper, donec digni quidpiam subodorasset. Sancte tamen ac graviter actum est, ut ex re eorum mencio inciderat Principum, qui Cristiano Orbi armis prodesse et velint et possint. Ne plura, sed hoc Celsitudo Vestra nostro in eam cordi, non insolentie tribuat. Uberius ex litteris rem intellectura.

Novarum rerum nil est, quod quidem consolationi sit. Ea licet pridem Celsitudinem Vestram non latere sciam, ita tamen habent. Romanus Pontifex [1] cum Gallo novas struit amicicias, aut verius, eluso Imperatore, se plane Gallum denuncciat. Hic enim illis mos [a] temporum fortunarumque amicis. Magna militum cogitur manus. Ignotum, quid acturi duo hii. Thurchae item cum Gallo nimium convenit, de quo et Pontifex non potest non esse conscius. Imperator silet adhuc, ulturus, si poterit, ammissam nuper fortem. Romanorum Rex serio de magno quoppiam exercitu meditatur, cui Hongari, Bohemi, Moravi, Slesitae, Austriaci, Sclavi reliquique, quos habet omnes, non contempnendam ex suis et forsitan mercenariis nostris se daturos submiserunt copiam, ipsimet soluturi sibi suisque. Horum Ludovicus Bavariae Dux omnium supremus futurus, ut dicunt, sed eattenus, donec in Thurcam (si quidem id futurum est) pugnabitur. Ubi enim aliorsum declinare acies videbuntur, nescio an futurus, compluresque alii, qui pridem cristiani cruoris saturi se abdicarunt Marti.

In Germania augeri quottidie tumultus et odia. Mirum, si sic intermoritura audio. Apud nos pretereo. Maturior meus tamen a Conventu domum regressus. Sperare, ne metuere dixero, aut suspicari iubet nonnihil. Ita adeo undequaque agitatur orbis, ut pauca quodammodo ad extrema mala illa deesse videantur. Sufficiat.

Quod superest, Deus rogandus Dominus, ut sanctum nomen et sancta sit voluntas Eius. Comendo me simul nosque omnes Celsitudini Vestre.

Quam ipse Potens sanam felicemque diu servet et Cristiane tandem Reipublice succurrende faciat autorem aut adiutorem. Frater hic iterum a Rege mecum erit. Itaque Celsitudinem Vestram suplicare statui, ut meus hic stator, quem ob id misi solum, quo ignocior visus est, a Celsitudine Vestra quam citissime redeat, ut frater rediens de Celsitudine Vestra esse possit certior. Qui quoniam alioquin raro tardus est, brevi eum futurum mihi polliceor. Datum in Lasko, 13 Marcii 1537.

Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
addictissimus
Stanislaus de Lasko miles et consiliarius
regius.

a) *correctum ex:* mox

1) *Paulus III.*

*N. 525.*

*Cracoviae, 18.III.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Thomam Sobocki, aulicum regium, obsequia sua defert et refert se* « in pistrico aulicorum et publicorum negotiorum » *versari.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

*N. 526.*

*Sandomiriae, 1.IV.1537.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*mercatorem Gedanensem, Kempe, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

*N. 527.*

*Płock, 6.IV.1537.*

*Ioannes Korzbok, decanus Gnesnensis,*
*Friderico ab Oelsnitz, ducis Alberti marsalco,*
*de 500 florenorum summa, a capitaneo Dzialdoviensi (Soldaviensi) archiepiscopo Gnesnensi [Andreae Krzycki] debita; de archiepiscopo ad Concilium Mantuam profecturo; de tempore pro foro de piscibus faciendo; de ursis sibi redditis; de equo emendo.*
*Vest. sigill.*
*H B A, B 2, K.361.*

Magnifice Domine *etc.*

Actepi litteras Magnificencie Vestre, quibus mihi scribit, ut pro Magnifico Domino Melchiore Rachembark, Capitaneo Soldaviensi, ad

Reverendissimum Dominum meum Archiepiscopum intercederem, ut illi Reverendissimus Dominus meus persolucionem quadringentorum florenorum, per Suam Magnificenciam ipsi Reverendissimo Domino debitorum, ad festum Divi Martini, [a] terminum solucionis,[b] prorogare dignaretur. Quod ego, Magnifice Domine, ex corde libenter facerem, si Reverendissimus Dominus meus hic in bonis Archiepiscopatus foret. Qui tamen brevi huc adveniet. Ubi cum advenerit, omnem operam adhibebo, quo Magnificencie Vestre postulatis satis fieret, licet his diebus habuerim litteras a Sua Reverendissima Dominacione, ut apud omnes debitores peccuniam exigerem pro profectione ad Generale Consilium [z] Mantuam, ubi intelligo non modico sumptu Reverendissimum Dominum nostrum indigere. In tam itaque ardua necessitate vix aliquid impetrare poterimus, cum et tempus solucionis dictorum quadringentorum florenorum iam diu preteriit, et id solet molestum fore Sue Reverendissime Dominacioni, cum debitores pro designatis temporibus solvere negligunt.

De tempore pro foro faciendo de piscibus, per Vestram Magnificenciam constituto, sum contentus mittamque famulum meum pro die sexta Maii ad locum per illam descriptum.

Ursi duo redditi michi sunt a Vestra Magnificencia, pro quibus illi ago et habeo magnas gracias. Tube venatice, de quibus scribit, illas non vidi, nec quem pro illis monere debeam, scio. De eunucho et gradario facio omnem diligenciam, ut illum talem emere possem, qualis Magnificencie Vestre pro voto sit, illumque cum primum nactus [c] fuero, Vestre Magnificencie mittam... Datum in Ploczka, VI Aprilis 1537.

Vestre Magnificencie obsequentissimus
Ioannes Corsbok Decanus Gnesnensis.

*In dorso:* Magnifico Domino Frederico ab Olsznycz, Illustrissimi Principis Prussie Supremo Marsalco, Capitaneo Hogensi *etc.*

a)-b) *supra lineam.*
c) *supra lineam.*
z) *sic. in ms.*

*N. 528.*

*Cracoviae, 10.IV.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis, R.P. cancellarius, Alberto in Prussia duci pro gratulationibus ob concreditum sibi cancellarii munus gratias agit; de eiusdem officii oneribus et difficultatibus queritur; de transgressoribus finium Ducatus Prussiae; Ioanni a Werden, a duce sibi commendato, omni opera se adfuisse nuntiat; regem gratum esse duci pro notitia de Moscorum conatibus.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quo magis perspecta mihi fuit et explorata singularis in me gratia Illustrissimae Dominationis Vestrae, hoc minus dubito, quin ex animo mihi gratuletur munus istud Cancellarii, quod mihi Sacra Maiestas Regia,

Dominus meus clementissimus, mandare dignatus est. Itaque Illustrissimae Dominationi Vestrae de tanta in me animi propensione ingentes ago gratias. Etsi causam non video, cur mihi magnopere gratulandum sit, quod qui me iam portum assecutum putabam, in graves sim procellas tempestatesque delatus. Mihi vero nihil magis fuit in optatis, quam ut tranquillitate[a] tandem et quiete potiri atque in diocesi mea, si minus quem deberem, saltim eum quem possem Episcopum agere mihi licuisset. Neque enim adeo sum rerum imperitus, ut non intelligam, quantae curae, solicitudines laboresque eum maneant, qui munus istud Cancellarii ex utilitate dignitateque Regiae Maiestatis Regnique illius gerere velit.

Quae tamen ego declinaturus non fuissem, si me eum esse iudicassem, qui tantam hanc provinciam sustineri[z] possem. Sed cum imbecilitatis meae mihi conscius essem, cum non solum animi atque ingenii, verum etiam corporis viribus me defici viderem, Deum semper precabar, ut onus istud in aliquem eorum transferretur, qui cum consilio prudentiaque esset maiore, tum valetudine quoque firmiore. Sed quando aliter visum est Serenissimo Regi et Domino meo, qui mihi munus istud deferendum putavit, quid aliud mihi faciendum restabat, quam ut illius iussis aequo animo obsecundarem, cuius solius beneficentiae liberalitatique omnia mea me debere libenter profiteor? A quo nihil mihi iniungi tam durum potest, quin id molle putem et facile illius mandato susceptum. Sola itaque authoritate illius me impellente feci, ut munus istud obire aliquando non recusarem. In quo si quid ope, opera, officio obsequioque meo Illustrissimae Dominationi Vestrae commodare atque illius honori inservire potero, faciam semper libentissime, neque alium diem magis hilarem sum sumpturus, quam quo mihi occasio et facultas dabitur aliqua Illustrissimam Dominationem Vestram aliquo obsequio meo mihi demerendi.

Quibus de rebus ad Sacram Maiestatem Regiam scripsit Illustrissima Dominatio Vestra, in his libenter operam illi meam navassem, si scire potuissem, quibus in locis factum sit, aut qui fuerint illi, qui in Magno Ducatu Lituaniae ultra fines suos progredi et ea sibi per iniuriam usurpere[z] ausi fuerunt, quae sunt ditionis Illustrissimae Dominationis Vestrae. Quod si personarum locorumque nomina tenuissem, laborassem procul dubio, ut iussu Maiestatis Regiae debite illis poene persolverentur. Cum autem nemo nominatim esset per Illustrissimam Dominationem Vestram perstrictus, non potuit ea de re aliquid a Sacra Maiestate Regia certi statui.

Generoso Domino Ioanni a Verden in gratiam Illustrissimae Dominationis Vestrae libenter omni opera mea benigne feci. Neque enim soli Illustrissimae Dominationi Vestrae, verum etiam omnibus hiis summa cum animi mei alacritate presto semper futurus sum, quos illi gratos esse intellexero. Itaque et totius Borussiae res, ita iubente Illustrissima Dominatione Vestra, cum primis mihi curae futurae sunt, atque ut aliis in rebus, sic in hac quoque Reverendissimi Domini Petri, Cracoviensis olim Episcopi,[1] vestigia non invitus persequar, omnem et curam cogitationemque meam in serviendo Illustrissimae Dominationi Vestrae atque toti Borussiae gratificando consumam.

Quae scripsit Illustrissima Dominatio Vestra de Moschorum conatibus, ea Maiestati Regiae cognoscere gratum fuit, vehementerque illi probatur studium istud Illustrissimae Dominationis Vestrae in odorandis

et pervestigandis hostium illius consiliis. Sperat autem eos pacta induciarum, quae non ita pridem cum regiis nunciis inierunt, servaturos esse...
Datum Cracoviae, X Aprilis, anno Domini MDXXXVII.

[b] Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
addictus servitor
Ioannes Episcopus Plocensis, Regni Poloniae
Cancellarius subscripsit.[c]

a) *in ms. correctum ex:* tranquillitatem
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Tomicki.*

*N. 529.*

*Vilnae, 12.IV.1537.*

*Paulus Holszański episcopus Vilnensis, Albertus Gasztołd palatinus Vilnensis, Georgius Radziwiłł castellanus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de limitibus controversis inter Ducatus Lithuaniae et Prussiae et de subditorum ducis querimoniis propter damna illis in confiniis a subditis regis illata.*

*3 sigilla.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Literas Vestrae Illustrissimae Dominacionis nuper actepimus, per quas nobis innotescit de iniuriis, que debeant subditis eius in confiniis ab incolis Magni Ducatus Serenissimi Principis et Regis Sigismundi, Domini nostri clementissimi, inferri. De quibus, ut novimus, Vestra Illustrissima Dominacio ante paucos annos hic presencialiter existens coram Sacra Maiestate Regia egit ac omnem rem controversiae et qualiscunque iniuriae ita stabilivit et reposuit usque ad eductionem de utroque dominio Commissariorum in confinia, qui de omnibus iniuriis utrinque dispicere debeant.

Nunc quod Vestra Illustrissima Dominacio in literis meminit esse adiectam et incorporatam Regno, et illam iniuriam illatam esse non tantum Vestrae Illustrissimae Dominacioni, sed pocius corpori Regni, revera, Princeps Illustrissime, post rem per Vestram Illustrissimam Dominacionem cum Sacra Maiestate Regia, Domino nostro clementissimo, de ipsis differenciis et discriminibus stabilitam et in Commissarios sepositam, hactenus nullam querimoniam a subditis regiis Magni Ducatus in confiniis illis degentibus audivimus. Verum si Celsitudo Vestra designasset locum, in quo huiusmodi iniuriae fierent, procul dubio sub hac absencia Serenissimi Domini Regis et Principis nostri a Magno Ducatu Litwaniae nos, qui id habemus a Sua Maiestate in commissis, huiusmodi iniurias et bonae pacis turbacionem omni studio et conatu prohiberemus.

Nunc, Princeps Illustrissime, postquam pax cum hoste Mosco, Magno Ducatui infensissimo, inter Serenissimum Regem nostrum composita et stabilita est, credimus Sacram Maiestatem Regiam votis eius acquiescere ac Commissarios pro cognicione iniuriarum, differenciarum quarumcun-

que ac limitum utriusque delegare, per ipsos Commissarios cognoscendorum, pacemque perpetuam, iureiurando dudum inter ipsa dominia sancitam, sopitis huiusmodi discriminibus firmandam. Unde in primis Deo Optimo Maximo honor sit, amicicia Serenissimi Principis et Regis nostri cum Vestra Illustrissima Dominacione maior crescat et inter subditos amor vicissim augeatur... Vilnae, die XII mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo.

Addictissimi Vestrae Illustrissimae Dominacionis servitores

Paulus Episcopus Vilnensis et Dux Olschanensis
Albertus Gastold Palatinus Vilnensis
Georgius Radwil Castellanus Vilnensis et Exercituum
in Magno Ducatu Litwaniae Supremus Capitaneus.

*N. 530.*

*Dębnica, 30.IV.1537.*

*Ianussius Latalski, palatinus Inovladislaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Lithuanorum transgressionibus limitum inter Prussiam et Lithuaniam conquerenti duci respondet; rem ad Comitia proxima remittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quacumque sorte et occasione evenit, ut me, servitorem suum, litteris suis (michi omnium gratissimis) Illustrissima Dominatio Vestra invisere dignata, gratulor impendio agoque et habeo eidem quam maximas gratias. Pro qua in me[a] gratiosa humanitate et beneficentia omnibus officiorum modis, pro virili mea, ipsi Vestre Illustrissime Dominationi mereri contendam.

Quantum vero attinet limites dominii Illustrissime Vestre Dominationis, quos Lithuani in preiudicium illius detrahere et semovere nituntur, quemadmodum a me, qui gratia Dei et Regie Celsitudinis clemencia Regni huius incliti Consiliarium ago, ad obviandum hisce pravis insultacionibus Lithuanicis suam illi quoque sententiam perscriberem, exoptare dignata est, quandoquidem sepius ac sepius cum Regiam Maiestatem, tum et Consiliarios illius Ducatus et rogaverit et admonuerit, ne videlicet in preiudicium et magnam iacturam Ducatus Illustrissime Dominationis Vestre et tocius Regni Polonie limitum loca detraherent ac transgredi auderent, tot signis totque litteris obsignatas,[z] nullum tamen eousque, presertim a Sacra Regia Maiestate, Domino meo clementissimo, acteperint responsum,[a] laudo imprimis summopere tantam illius prudentiam ac eiusdem in hoc inclitum Regnum et Senatores eius miram propensionem et affabilitatem, eo quod nedum ex debito, verum etiam amore quodam et benevolentia ad id propensa est et sollicita, ne, quod absit, ab hoc Regno inclito per quempiam aliquid auferatur.

Ad presens, pro mea parvitate, votis Vestre Illustrissime Dominationis morem gerens, significandum necessario putavi, quod pro festo Divi Stanislai proximo quam plures Regni huius ad celebrandas Comicias Thorunie[b] per Regiam Maiestatem sunt deputati, inter quos et

Magnificus Dominus Lucas Comes a Gorca, Palatinus Posnaniensis, mecum una est adiunctus. Ubi posteaquam, duce Domino, simul convenerimus, de eoque negotio mutuam habuerimus intelligentiam ac matura colloquia, inde tandem id, quod iustum atque honestum ac etiam non inutile videbitur, Vestre Illustrissime Dominationi perscribere non gravate curabimus. Quod reliquum est, ut ad mandata et optata Vestre Illustrissime Dominationis meis illam crebris litteris per omnem occasionem participem redderem, hoc polliceor, et quam gratissime, ut ea et aliis occasionibus tanti Principis gratiam assequar... Datum in Dambnicza, in profesto Sanctorum Philippi et Iacobi Apostolorum, 1537.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
servitor benevolus
Ianussius Latalski, Palatinus et Capitaneus
Iuniwladislaviensis.

a) *supra lineam scriptum.*
b) *in margine.*
z) *sic in ms.*

*N. 531.*

*Płock, 5.V.1537.*

*Ioannes Korzbok, decanus Gnesnensis,*
*Friderico ab Oelsnitz, ducis Alberti marsalco,*
*de tempore contractus de emendis piscibus faciendi prolongando; de braxatore cerevisiae difficillime reperiendo; de equo gradario; de tubis venaticis etc.*

*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.361.*

...Generose Domine *etc.*

His omnibus, que michi Dominacio Vestra scripsit, presentibus literis per famulum Illustrissimi Principis, qui hic eo erat tempore, abundantissime descripsi. Ob tuciorem tamen rem et his Dominacioni Vestre notifico, obnixe deprecans, de faciendo contractu de accipiundis piscibus Dominacio Vestra prolongare tempus velit pro die secunda Iulii. Pro quo tempore ego unum ex Consulibus civitatis Loviciensis mittere ad faciendum forum at [z] ad stabiliendam empcionem huiusmodi piscium curabo. Modo primo omnium scire velim, si Dominacio Vestra hos pisces ad unum locum ex his procurari possit, videlicet in Mlawa, Roszan vel Novodwor. Quod si id Dominacioni Vestre grave videretur, nullo pacto forum cum Dominacione Vestra facere possim. Quare rogo Dominacionem Vestram, me cerciorem faciat, si id facere velit. Tum ego pro die prefata Consulem ad Suam Dominacionem mittam. [a] Dominacio Vestra locum designet, ad quem mittere debeam.[b]

De braxatore vero cervisie facio diligenciam, sed hoc tempore braxatores non conducuntur. Itaque expectandum est ad festum [c] Domini. Eo tempore facilius conduci possunt. Nec eciam libenter illic ire volunt, tum propter alios mores, tum etiam propter lingwae insciciam, quam

ipsi non norunt. Adhibebo tamen diligenciam, ut pro voto Dominacionis Vestre et Illustrissimi Ducis sit.

De equo gradario diligenciam habeo, ut hunc Dominacioni Vestre per Consulem, qui illuc iturus est, mittere possim. Due tube venatice sunt michi a Dominacione Vestra per Consulem date, una admodum parva, altera vero maior. [a] Altere vero due sunt michi date, quas nunquam vidi, de quibus magnas gracias Dominacioni Vestre ago.[b] Sed puto alias dari quam has, quas Dominacio Vestra misit, nam huiusmodi tube apud nos nullius sunt momenti, quia parve atque vocis tenuioris. De quibus tamen Dominacioni Vestre ago gracias... Ex Ploczko, 5 Maii, anno Domini nostri Iesu Christi MDXXXVII.

Vestre Generositatis
Ioannes Corczbok Decanus Gnesnensis, Scolasticus
et Prepositus Plocensis subscripsit.

a)-b) *in margine.*

c) *sequitur verbum expunctum vel ex alio correctum:* Nativitatis

z) *sic in ms.*

*N. 532.*

*Cracoviae, 6.V.1537.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis et exercituum Regni Poloniae capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de limitibus inter Ducatus Prussiae et Lithuaniae reficiendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae, per Dominum Soboczki,[1] Sacrae Maiestatis Regiae aulicum, missas. Quibus pro suo erga me favore scribendi negligentiam excusare mihique de filio nuper nato[2] clementer gratulari dignatur. Quo nomine Illustrissimae Dominationi Vestrae ago et habeo magnas gracias. Eo enim ipso testatum fecit animum et favorem suum erga me. Opto autem vicissim Illustrissimam Dominationem Vestram liberis, imperio, omnibus denique amplissimis fortunis auctam iri.

Quod vero Illustrissima Dominatio Vestra Regni huius pariter et Ducatus Prussiae res, dignitatem et ius tantae sibi curae esse ostendit, prudentissime, ut omnia, facit id, quod ad illius officium et fidem pertinet.[a] De limitibus autem, qui a Lithwanis submoventur, sic accipiat Illustrissima Dominatio Vestra nuper in Comitiis actis in Senatu constitutum fuisse, ut missis a Sacra Maiestate Regia hinc ex Regno et Lithvania Commissariis, Illustrissima Dominatio Vestra quoque adhibuisset suos, qui convenissent et refecissent fines et submotos limites restituissent. Et quoniam propter summa et gravissima totius Regni negocia res non perfecta sit et usque huc dilata, nemini imputandum est. Nunc autem, quum ex litteris Illustrissimae Dominationis Vestrae frequenti Senatu apud Sacram Maiestatem Regiam eadem de re retulissem, iudi-

cavit Sua Sacra Maiestas cum universo Senatu id etiam atque etiam agi oportere. Quod quidem nunc iam decretum fuisset, nisi perspectum esset alienissimum hoc esse ad eam rem tempus, propterea quod illa limitum loca paludosa et limosa sint, ideoque aestate nequaquam adiri possunt. Itaque necessario reiecta res est, dum per hiemem hoc quam primum et commodissime fiat. Tum enim missis singulis Commissariis, res ex sententia Illustrissimae Dominationis Vestrae et utilitate Reipublicae aequissime transigeretur.

Quod si autem postea Lithwani aliquid temere de limitibus facere pergent, facilis aliqua consilio publico racio invenietur, qua contra eos Illustrissima Dominatio Vestra Regni Poloniae suique Ducatus imperium, dignitatem et ius tueatur iuste ac defendat... Datum Cracoviae, VI Maii, anno Domini MDXXXVII.

[b] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis servitor
Ioannes Comes in Tarnow, Castellanus Cracoviensis
subscripsit.[c]

a) *in ms.* pertinent

b)-c) *manu propria.*

1) *Thomas Sobocki.*

2) *Ioannes Christophorus.*

*N. 533.*

*Cracoviae, 7.V.1537.*

*Thomas Sobocki, tribunus Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*omnia ducis mandata se executum esse significat; nuntiat munera reginulae Isabellae a ducissa [Dorothea] missa, grata ei fuisse, et litteras ducis palatino Masoviae se reddidisse; Regni statuta per alium tabellarium mittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nudius tercius huc Cracoviam redii ad Serenissimos Principes meos, quorum Maiestatibus omnia ea, que ab Illustrissima Dominatione Vestra mihi iniuncta erant, qua decuit fide retuli. De quibus omnibus, tam de responso dato supra legacione mea, quam de aliis omnibus Serenissimi mei Principes grati erant. Reperi hic et alios Regni Senatores, ad quos ab Illustrissima Dominatione Vestra eciam in mandatis nonnulla habebam, utpote Magnificum Dominum Castellanum Cracoviensem,[1] et alium Posnaniensem Iuniorem,[2] quos Illustrissimae Dominationis Vestrae nomine (sicut iussus sum) salutavi. Cupiunt vicissim eorum Magnificencie obsequia eorum paratissima Illustrissimae Dominationi Vestrae commendari, precantes eidem omnia fausta et felicia. Magnificus Dominus Castellanus Cracoviensis ad litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae, per me missas, respondit, quod responsum Illustrissimae Dominationi Vestrae cum presentibus mitto. Reverendissimis Antistitibus Plocensi[3] et Premisliensi[4] litteras Dominationis Vestrae Illustrissimae in oppido Wolborz (cum eis obviam veneram) reddidi peciique responsum. Que

iuxta mandatum Illustrissimae Dominationis Vestrae per meum famulum ad Capitaneum Neydenburgensem misissem, sed Reverendissimus Dominus Plocensis Episcopus pollicitus est per proprium tabellarium ea et cetera necessaria ex Ploczko scribere. Et per eum tabellarium quoque Dominus Premisliensis Episcopus se ad omnia Illustrissimae Dominationi Vestrae responsurum dixit, tum ad litteras, tum de limitibus inter Mazoviam et Ducatum Illustrissimae Dominationis Vestrae faciendis, pro quo tempore incipiendi erunt.

Munera, que Illustrissima Princeps Borussiae, Illustrissimae Dominationis Vestrae coniux, Illustrissime virgini Isabelle misit, reddidi. Que adeo grata fuere, ut profecto nihil gracius excogitari et mitti potuisset. Curabitque Illustrissima Princeps Isabella eius Illustritati vicissim gratitudinis officio rependi et amore sororino debito referre. Hoc tantum querit, qua in re eius Illustritati gratitudinem et complacenciam exhibere posset, cupitque eius Illustritas Dominationem Vestram Illustrissimam cum Illustrissima Principe et utraque filia salvos et felicissimos diutissime regnare et vivere. Dominus Nipschicz, autor missorum munerum, maiores gratiarum acciones ab Illustrissima virgine Issabella[z] accipit, quod eo instigante missa sunt, quam ego, qui ea atuli,[z] sed nihil invideo Domino Nipschicz tantam graciam, omnium Illustrissimarum virginum veteri proco, et Illustrissimae Dominationis Vestrae bono et fideli servitori et meo integerrimo amico.

Iodocus Lodovicus Iustus Decius, regius Secretarius, iam a captivitate liber factus, huc rediit. De quo cum nonnullis Regni Senatoribus, prout mihi Illustrissima Dominatio Vestra iniunxerat, locutus sum. Et iam agnovit Iostus profuisse sibi Illustrissimae Dominationis Vestrae commendacionem plurimum.

Magnifico Domino Palatino Mazovie, et eciam Capitaneo Varschoviensi,[5] litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae reddidi et retuli inepciam illius Mazovite inpudentis, qui cum litteris regiis occasione perfugorum rusticorum ad Illustrissimam Dominationem Vestram missus erat. Pudet eos illius vesanie, et ipsi respondent Illustrissimae Dominationi Vestrae ad missas per me litteras.

Statuta Regni Illustrissimae Dominationi Vestrae per alium tabellarium mittam. Novarum rerum hic nihil habemus, que Illustrissimae Dominationi Vestrae scribenda[z] essent. De Turca rumor subticuit. Ex Hungaria regius Legatus nondum rediit. A Serenissimo Romanorum Rege rediit alter, qui missus erat. Is que attulerit, ex litteris Domini Nipschicz Illustrissima Dominatio Vestra intelliget. Plura nunc non sunt, que Illustrissimae Dominationi Vestrae scriberem... Quam diutissime salvam, rerum omnium prosperis successibus semper fruentem, in longum regnare cupio. Cracovie, 7 Maii, anno 1537.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
addictissimus servitor
Thomas Soboczki, Tribunus Lanciciensis.

z) *sic in ms.*
1) *Ioannes Tarnowski.*
2) *Andreas Górka.*
3) *Ioannes Chojeński.*
4) *Petrus Gamrat.*
5) *Petrus Casparus Goryński.*

## *N. 534.*

*Thorunii, 15.V.1537.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de simultatibus in terris Prussiae subortis et componendis; de controversis limitibus inter Ducatum Prussiae et Magnum Ducatum Lithuaniae; de Comitiis Thoruniensibus.*

*Vest. sigilli.*
*(Schedula adiuncta)*
*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Dum in Plocko invisendi Reverendissimi Domini Episcopi Plocensis et Regni Poloniae Cancellarii[1] gracia proficiscerer, reddite sunt mihi Vestre Illustrissime Dominacionis litere. Quibus quod me Comiciis Thorunensibus a Sacra Maiestate Regia, Domino nostro clementissimo, destinatum gratuletur, atque propter varias et eas quidem non leves negociorum raciones Prussiae, ut illis omnino intersim, vehementer optet, certus sum Vestram Illustrissimam Dominacionem pro ea, quam de me concipere consuevit, opinione ea omnia facere. Quod ad me attinet, perlibenter omnem operam sum impensurus, quo terrarum Prussiae suborte simultates ac cetera negocia, quam commodissime et tranquilissime fieri possit, sopiantur et transigantur.

Porro quod ad limites spectat, quos Illustrissima Dominacio Vestra, pro suo erga Sacram Maiestatem Regiam et Regnum Poloniae affectu atque debito officio, a quibusdam ex Ducatu Lithwaniae in Ducatum suum Prussiae, Regno Polonie feudalem, non absque Ducatus sui damno et Regni Polonie iniuria proferri et dilatari significasse non neglexit, cum huc in Thoruniam veniens ea de re consului, cum Magnifico Domino Palatino Inniwladislaviensi,[2] amico et compatre meo, communicassem, visum est nobis, ut posteaquam exacte cognitum fuerit, ubi et a quibus id fiat, Sacre Regie Maiestati, Domino nostro clementissimo, ex iis Comiciis Thorunensibus simul cum aliis rebus perscribatur, cuius Maiestatem debito suo in ea re officio minime defuturam certo speramus... Thorunii, XV[a] Maii, 1537.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
Lucas Comes a Gorca, Palatinus Posnaniensis.

*Schedula adiuncta:* Literas Illustrissime Dominacionis Vestre, ad filium meum, Castellanum Posnaniensem, scriptas, apud me retinui. Quas illi vel ipse vel per nuncium quamprimum reddere curabo.

a) *in ms correctum ex:* XIIII
1) *Ioannes Chojeński.*
2) *Ianussius Latalski.*

## *N. 535.*

*Thorunii, 16.V.1537.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mortem Andreae Krzycki, archiepiscopi Gnesnensis, nuntiat.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.361.*

N. 536.

*Cracoviae, 10.VII.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Plocensis, nominatus Cracoviensis, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de sua ad episcopatum Cracoviensem nominatione; a duce rogatus, ut eum coram rege excuset, quod, derelicta provincia, ad regem Daniae profectus sit, respondet hoc facere se non potuisse propter absentiam regis; se negotia ducis, cum ad regem Romanorum legatus profectus fuerit, diligenter curaturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Felici omine Illustrissima Dominatio Vestra mihi gratulata est. Etsi enim quo tempore gratulationem istam scripserat nondum eram per Sacram Maiestatem Regiam Cracoviensis Episcopus nominatus, tamen ita cecidit, ut eo ipso die fuerim renunciatus, quo Illustrissimae Dominationis Vestrae literae mihi redditae fuerunt. Cui ingentes et ago et habeo gratias, quod adeo non obscure tulerit se mihi locum hunc ex animo favere, ut aliquanto ante gratulari mihi dignata sit, quam fuerim assecutus. Magnum id argumentum est singularis cuiusdam gratiae atque animi propensionis in me Illustrissimae Dominationis Vestrae. Cuius ut me gratum praestem et memorem, curabo, ut si quid mihi authoritatis accessit, id non tam mihi, quam Illustrissimae Dominationi Vestrae accessisse videatur. Cui ut antea serviebam semper libentissime, ita nunc quoque meam illi operam servitutemque nulla in re defuturam esse polliceor. Quin etiam dabitur a me opera, quanta ad fortunas honoremque meum facta videtur accessio, tantundem, et eo etiam amplius, ut accessisse intelligat Illustrissima Dominatio Vestra ad meum erga se studium atque observantiam et ad summam illam voluntatem omnes rationes Illustrissimae Dominationi Vestrae pro virili mea apud Sacram Maiestatem Regiam adiuvandi.

Postulat a me Illustrissima Dominatio Vestra, ut eam apud Sacram Maiestatem Regiam velim excusare, quod relicta provincia sua ad Serenissimum Dominum Daniae Regem[1] profecta sit, atque eam rogare, quo terras Illustrissimae Dominationis Vestrae sibi habeat commendatas. Quo die redditae mihi fuerunt literae ab Illustrissima Dominatione Vestra, eodem Sacra Maiestas Regia discesserat, ita ut quibus de rebus postulavit, cum Maiestate illius conferre non potuerim. Sed tamen mihi dubium non est, quin istam Illustrissimae Dominationis Vestrae profectionem Sacra Maiestas Regia in optimam sit partem acceptura, quando quidem ista amicicia et necessitudo cum Serenissimo Daniae Rege utrique provinciae Prussiae bono esse poterit. Neque minus Maiestati Regiae curae futurum est, ut recte sit in ea Prussiae parte, quam Illustrissima Dominatio [Vestra] possidet, quam in ea ipsa, quae est ditionis atque potestatis Maiestatis Regiae.

Quae vero cupit a me confici Illustrissima Dominatio Vestra, cum legationis munus obiero apud Serenissimum Romanorum Regem, ea curabuntur a me diligenter. Sed non ita brevi futurum est, ut illuc proficiscamur. Nam profectioni nostrae dies dicta est Sancti Martini, ante quam diem Illustrissima Vestra Dominatio facile in provinciam

suam reverti poterit. Caeterum, quo tempore mihi Maiestatis Regiae Romanorum praesentis potestas erit facta, facile memor ero omnium eorum, quae ad Illustrissimam Dominationem Vestram pertinere videbuntur, futuraque mihi sunt ea curae maxime. Hoc enim velim sibi persuasum habeat Illustrissima Dominatio Vestra me de meis ipsius rationibus perinde solicitum nunquam fore, atque de iis, quae Illustrissimae Dominationis Vestrae interesse putavero... Datum Cracoviae, die X Iulii, anno Domini MDXXXVII.

[a] Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
addictus servitor
Ioannes Episcopus Plocensis et Nominatus Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Christianus III.*

*N. 537.*

*Posnaniae, 18.VII.1537.*

*Lucas et Andreas a Górka, palatinus et castellanus Posnanienses, Alberto in Prussia duci*
*faustum iter duci, in Daniam ad coronationem electi regis Daniae Christiani III proficiscenti, ominantur; de negotiis connubii regis iunioris [Sigismundi Augusti].*

*2 sigilla.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Actepimus Illustrissime Dominacionis Vestre literas, ex quibus intelleximus Serenissimum Principem Dominum Christianum, Electum Daniae Regem, proximo die dominico post festum Divi Laurencii regio diademate insigniendum fore. Quodque Illustrissima Dominacio Vestra, unacum Illustrissima Domina consorte sua, sit ad eam celebritatem, postulante id Serenitate Sua, profectura. Postremo Illustrissima Dominacio Vestra nos hortari ac monere voluit, ut in his tractatibus, qui circa conclusionem matrimonii Serenissimi Domini nostri iunioris Regis cum filia [1] Serenissimi Domini Romanorum etc. Regis ineundi ad stabiliendam cum Regno Romano solidam et pacem et amiciciam futuri sunt, cure etiam nobis essent Illustrissime Dominacionis Vestre et ducalis eius provinciae negocia, maxime quod abolicionem imperialis banni attinet.

Fuerunt he litere nobis multis modis gratissime et iucunde, precipue quod Serenissimus Daniae Electus, superatis magna animi fortitudine tot difficultatibus ac procellis, Regnum Daniae Dei Optimi auxilio sit tandem adeptus. Cuius Maiestati et propter preclarissimas dotes, quibus abundare dicitur, et propter vinculum magne necessitudinis, quam cum Illustrissima Dominacione Vestra retinet, tantam dignitatem regie amplitudinis pleno favemus affectu et rogamus Deum, ut suctessus Maiestatis Suae ad laudem sui sancti nominis et augmentum Reipublicae Christianae fortunare dignetur.

Non minus iucundum nobis est etiam, quod Illustrissima Dominacio

Vestra in hoc discessu, quem prosperrimum cupimus, provinciam suam cum subditis eius nobis commendare dignata est. Habemus ingentes sane Illustrissime Dominacioni Vestre gracias, quod eam de nobis plene et perspecte habeat fidei persuasionem. Cui confirmande nunquam deesse volumus et operam nostram Illustrissime Dominacioni Vestre et predicte eius dicioni ac subditis omnibus, iuxta maximam nostram facultatem, quae mediocris est, impartiri ubique ac per omnem occasionem pollicemur. Et si vero hoc tempore in obsequium Sacre Maiestatis Regie evocati sumus, et ego, Castellanus Posnaniensis, post apparatum meum ante aliquot iam dies premissum hinc abeam, et ego, Palatinus Posnaniensis, in istius ore Regni presidium sum a Sacra Maiestate Regia relictus, tamen quocumque modo poterimus Illustrissime Dominacioni Vestre ac eius dicioni et subditis prodesse, id sumus omni animi fide ac propensione facturi.

Quod vero profectionem nostram ad tractatus concludendi negocii connubialis Serenissimi Domini Regis nostri iunioris attinet, de hac re nihil adhuc a Sacra Maiestate Regia actepimus. Si tamen ea provincia nobis delegata fuerit, omnia nobis a Sacra Maiestate Regia commissa summo et indefesso studio adimplere curabimus, modo Illustrissima Dominacio Vestra apud Sacram Maiestatem Regiam efficere velit, ut nobis ea negocia, quae Illustrissimam Dominacionem Vestram et dicionem eius attinent, committerentur.. Datum Posnaniae, die 18 Iulii, anno Domini MDXXXVII.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre servitores
Lucas Palatinus et Andreas Castellanus et Capitaneus
Maioris Polonie Generalis, Posnanienses, Comites a
Gorca.

1) *Elisabeth.*

*N. 538.*

*Cracoviae, 30.VIII.1537.*

*Ioannes Chojeński, nominatus episcopus Cracoviensis, R.P. cancellarius, Alberto in Prussia duci*

*litteras ducis sibi gratas fuisse scribit omneque studium et observantiam defert ac nuntiat se regem per litteras cohortatum esse, ut provinciam pacificationis duci imponeret; regem a Leopoli castra nondum movisse refert; coniecturas facit de bello in Hungaria futuro.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt Illustrissimae Dominationis Vestrae literae, quae quo magis erant non vulgaris cuiusdam gratiae in me et benevolentiae notis insignes, hoc mihi gratiores et iucundiores acciderunt. Neque enim in minima felicitatis meae parte istud pono, quod habeo Illustrissimam Dominationem Vestram tam egregia in me voluntatis suae inclinatione propendentem, ut nihil sit, quod mihi de illius in me animo non audeam polliceri. Cui vicissim omne studium meum atque observantiam defero, omnia, quae mihi mandare fuerit dignata, non

minore diligentia atque alacritate exhaurire paratus, quam si mea ipsius res ageretur. Itaque hoc ipsum, de quo mihi in literis hisce suis scripsit Illustrissima Dominatio Vestra, fuit mihi pro eo ac esse debuit curae maximae. Et quantum absens efficere potui, Sacram Maiestatem Regiam per literas sum diligenter cohortatus, ut Vestrae Illustrissimae Dominationi provinciam hanc pacificationis imponeret. Qua de re Maiestatis eius sententiam ex responso eius cognoscet.

Quae agantur apud Sacram Maiestatem Regiam, cum absens sim, non possum Illustrissimae Dominationi Vestrae perscribere, quae pro sua prudentia facile intelligit in rebus bellicis exiguo tempore magnas fieri solere mutationes. Itaque quod scribam aliud non video, nisi nondum ex Leopoli Maiestatem Regiam castra movisse. Id quod eam tandem brevi facturam existimamus.

Ex Hungaria quoque nihil pacati adfertur. Praecisa iam est omnis pacis spes. Tanto bellum futurum esse putant diuturnius, quanto minoribus copiis utrinque res agitur. Deus precandus est, ut pacem nobis et tranquillitatem concedere dignetur... Datum Cracoviae, XXX Augusti, MDXXXVII.

[a] Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae servitor Ioannes Nominatus Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 539.*

*Cracoviae, 24.IX.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Cracoviensis, R.P. cancellarius, Alberto in Prussia duci*
*a Russocki rogatus, edoceri cupit de filio eius* [*Bernardo*], *in clientelam et servitium ducis dato, a quo pater eiusdem nullam hucusque habuit notitiam.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

## *N. 540.*

*Cracoviae, 8.X.1537.*

*Ioannes Chojeński, episcopus Cracoviensis, R.P. cancellarius, Alberto in Prussia duci*
*nuntiat regem, sedata ordinis equestris excitatione,* [*Leopoli*] *reversum esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cupit a me certior fieri Illustrissima Dominatio Vestra, quem exitum habuerit generalis ista bellica expeditio. Ego pro officio meo proque eo studio, quo sum erga Illustrissimam Dominationem Vestram, nihil

eam celabo earum rerum, quae actae sunt ad Leopolim. Fatalis quaedam calamitas universum orbem pervasisse videtur, nullus ut locus ita abstrusus sit et reconditus, qui non aliquo infelicitatis genere prematur. Nos adhuc, aliis cum gentibus collati, satis esse beati visi sumus. Verum accidit hoc tempore, ut et ipsi aliquo fuerimus, etsi non gravissimo, incommodo conflictati, fortassis non alia magis re quam felicitate nimia laborantes.

Equester ordo, plus satis cupidus libertatis suae tuendae, vel augendae potius, iura sua labefactari querens, immunitates infringi, privilegia induci et antiquari, motus quosdam non tam contra Regiam Maiestatem, quam contra Regni proceres excitaverat atque adduci non potuit, ut in hostes aliquam irruptionem faceret. Verum, Deo sit gratia, fuit exitus huius tragediae, ut in rebus incomodis, satis liberalis. Missus factus est equester ordo, miles scriptus mercenarius atque is in Regni finibus collocatus, magis ut bellum propulsaret quam ultro inferret. Certis enim rationibus impulsa Sacra Maiestas Regia faciendum non putavit, ut ad depopulandam Valachiam hostesque ad prelium eliciendos suos milites ne mitteret. Praeterea nihil est actum, quod Illustrissimae Dominationi Vestrae scribendum putarem, nisi quod Sacra Maiestas Regia sana ad nos et incolumis rediit. Quo nomine Divinae Maiestati ingentes agimus gratias... Cracoviae, die VIII Octobris, anno Domini MDXXXVII.

[a] Eiusdem Dominationis Vestrae Illustrissimae
addictus capellanus
Ioannes Episcopus Cracoviensis, Regni Poloniae
Cancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 541.*

*Posnaniae, 14.X.1537.*

*Lucas e Górka, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de felici reditu ducis ex Dania gratulatur; refert de futuro suo et episcopi Cracoviensis* [*Ioannis Chojeński*] *cum rege Romanorum* [*Ferdinando I*] *conventu.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Actepi ante paucos dies literas Illustrissime Dominacionis Vestre, ex quibus non sine magna animi leticia intellexi Illustrissimam Dominacionem Vestram a Serenissimo Danorum Rege[1] salvam integraque valetudine cum Illustrissima coniuge sua ceteroque comitatu rediisse. De quo ego gratulor vere ac vehementer. Non dubito etiam Illustrissimam Dominationem Vestram intellexisse de reditu Sacre Maiestatis Regie, Domini mei clementissimi, in regiam Cracoviae, ac quomodo finibus Regni hoste propinquius providerit.

De meo vero ac Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis discessu hoc in summa Illustrissima Dominacio Vestra scire dignetur. Tempus, pro

quo cum Serenissimo Domino Romanorum Rege conventuri fueramus, deputatum fuisse pro feriis Divi Martini in civitate Pragensi. Nunc vero discedente Serenissimo Romanorum Rege Viennam, cepit Sacra Maiestas Regia dubitare, quorsum nobis ad Suam Serenitatem proficiscendum esset, ac propterea mittere dignata est Sacra Regia Maiestas ad Serenitatem Suam celerem nunctium, qui cito refferret Serenitatis Sue sententiam, in quem locum Maiestas Regia sit nos destinatura. Qui nunctius intra hos dies redire debuit, ac ego definitam exitus diem a Sacra Maiestate Regia opperior. Et quia propediem exeundum nobis intelligam, si quid est, quod isthic mea facultate, industria vel opera in rem suam effectum esse velit, mihi ut demandet ac committat, magnopere oro. Ego vero pro solita sedulitate et in Illustrissimam Dominacionem Vestram affectus summa diligencia et fide curabo, quod mihi committere dignabitur, exequi... Datum Posnaniae, 14 Octobris, anno Domini 1537.

[a] Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre [b]
Lucas Comes a Gorca Palatinus Posnaniensis.

a)-b) *alia manu.*
1) *Christianus III.*

*N. 542.*

*Posnaniae, 14.X.1537.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro captivo Moscovita intercedit, ut dux ei libere Rigam se conferre permittat.*
*(Autogr.)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Alia intelligere dignabitur Illustrissima Dominacio Vestra ex litteris manu notarii scriptis. Hoc unum presentibus manu mea significare et ab ea petere volui. Captivus iste Moscus, qui ante biennium, cum e Moscovia rediisset filius meus, donatus ab eo mihi fuit. Ego commiseratus ei, cum et languens est, nam aduc globulum ex pixide in se gerit coniugemque et liberos habet, libertate illum donavi, ut ad penates penetrare posset. Nec video, quo pauper commodius assequi id possit, quam per Illustrissime Vestre Dominacionis dominia versus Rigam profeccionem suam dirigens. Obsecro itaque Illustrissime Vestre Dominacioni, Domino meo clementissimo, ut commisereri eciam eius orphanitati velit et prestare modum, ut pauper salvus Rigam pervenire posset. Faciet Illustrissima Vestra Dominacio rem magna eximiaque sua virtute dignam, quam ego de Illustrissima Vestra Dominacione, Domino meo clementissimo, fida et obsequenti servitute mea mereri contendam... Poznanie, die 14 Octobris 1537.

Illustrissime Vestre Dominacionis
servitor deditissimus
Lucas a Gorka subscripsit.

*In dorso:* Ad manus proprias.

*N. 543.*

*Brzostowice, 7.XI.1537.*

*Alexander Chodkiewicz, marsalcus regius, capitaneus Brestensis, Alberto in Prussia duci equum Alemanicum sibi mitti petit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

*N. 544.*

*Posnaniae, 18.XI.1537.*

*Lucas a Górka, palatinus Posnaniensis, Alberto in Prussia duci de causis suae et episcopi Cracoviensis [Ioannis Chojeński] in Bohemiam profectionis differendae; de magna parte exercitus regis Romanorum [Ferdinandi I] a Turcis deleta.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.361.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum intelligerem hunc nunctium Illustrissimi Principis Domini Marchionis Brandeburgensis Electoris [1] etc., Domini mei graciosissimi, ad Illustrissimam Dominacionem Vestram proficisci letumque ab Illustritate Sua de suscepta optatissima prole perferre nunctium, nolui literis meis dimittere vacuum, quibus Illustrissime Dominacioni Vestre servicia mea offerrem ac eius valetudini, quam confido rectam esse, pro meo debito gratularer. Non dubito Illustrissimam Dominacionem Vestram intellexisse, qua necessitate profectio mea et Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis, Regni Cancellarii, Bohemica fuerit in aliud tempus nondum designatum reiecta. Quae non est alia, nec acerbior tristiorque toti Christianitati actidere potuit, quam hec quod Turce magnam partem exercitus Serenissimi Domini Romanorum etc. Regis deleverunt, reliquam etiam persecuti ac prosecuti sint in quadamque arce Domini Petri a Peren obsederint. Hoc ita factum esse Magnificus Dominus Palatinus Syradiensis,[2] qui proxime a Serenissimo Romanorum etc. Rege Vienna Cracoviam magna celeritate venerat ac mox Hungariam se contulit, narravit.

Quum exercitus Germanorum Turcos in Sclavonia insequeretur, ac Turci in quoddam suum opidum ingressi essent, dimissa media post opidum insciis Germanis exercitus parte, ibi quum afferrentur necessarii et magni commeatus Germanico exercitui, Turci ex insidiis omnem commeatum interceperunt eamque Germanis incusserunt necessitatem, ut cogerentur de reditu cogitare. Factum itaque est edictum, ut media nocte quisque se pararet ad obeunda Imperatoris iussa. Ac cum signum minori tuba, quam surmam Poloni vocant, daretur, protinus ad capessenda iussa essent compositi. Quod et factum est. Interea vero [a] nescientibus ceteris, Imperator exercitus supremus, Dominus Caccianer, ab exercitu sedecem equitibus comitatus nocte [a] se subduxit. Et cum dudum expectassent imperata viderentque propemodum lucem diurnam exoriri, Dominus Slyk et Dominus Ugnath, duces exercitus, mittunt ad Dominum

Caccianer tanquam supremum ductorem, quidnam censeret facto opus esse. Et intelligentes, quod se subduxerit, et illi quoque se subduxerunt. Exercitus imperatoribus destitutus quid faceret, non habuit. Turci magna vi facta luce insultarunt exercitui, et intellecta fortasse ducum absencia, audacter rem gesserunt, ac primum tormenta bellica cum universis pilis [b] et pulveribus, deinde etiam quicquid erat impedimentorum, auferunt.

Interea Comes quidam Italicus [3] videns, quid actum esset, subito ad exercitum proclamavit, si se ducem crearent ac iussa caperent, se affecturum, ut possent se presenti periculo salvare. Cui cum acclamatum esset ab exercitu, fecit quantum potuit, ac paulatim retrocedens deduxit quattuordecem millia salva in eam arcem, quam Petri Perenni esse dixi, in qua tandem Turci illum obsederunt ac oppugnare adoriebantur. Quid cum illis actum sit, nescitur. Scripserat enim Serenissimo Romanorum Regi, ut sibi auxilia intra duas hebdomadas mitteret. Quod quidem tempus ad festum Simonis et Iude expirare debuit. Alioquin non posse se necessitatem obsidionis ulterius ferre, quin sese Turcis dedat. Exercitum vero Serenissimi Romanorum Regis priusquam ad eam cladem venisset, aiunt ex viginti quinque milibus constitisse. Utinam Dominus Deus omnes illas reliquias in vita et incolumitate conservet... Datum Posnaniae, 18 Novembris, anno Domini MDXXXVII.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
totus Lucas a Gorca Comes Palatinus Posnaniensis.

a) *verbum supra lineam scriptum.*
b) *in margine verbum indistincte scriptum.*

1) *Ioachimus II.*
2) *Hieronymus Łaski.*
3) *probabiliter Lodron, Hispanus.*

*N. 545.*

*Borysławice, 19.XI.1537.*

*Nicolaus Russocki, castellanus Biechoviensis et capitaneus Ravensis, Alberto in Prussia duci*
*in gratiam regis redire cupiens, quam ob casum quendam homicidii perdidit, ducis intercessionem implorat ad regem, ad archiepiscopum Gnesnensem et omnes consiliarios Regni; narrat de meritis suis.*
*Vest. sigilli*
*(Adest aliud originale eiusdem epistolae, polonice scriptum, datum 21.IX.1537, a textu latino nonnihil discrepans, quod etiam hic publicatur).*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.361.*

Serenissime Princeps *etc.*
Deliberaveram Vestre Illustrissime Serenitatis sanitatem visere et eventum manifestare. Verum egritudo et infirmitas mea me paratum ad Vestram Illustrissimam Serenitatem non permisit, tum eciam velocissimi conventus particulares in nos constituti, de consuetudine generalem Conventum precedentes.

Dum equitaveram ante medium anni ad conventum particularem ad

Szroda, in terra Posnanie, de mandato Sacre Maiestatis Regie, eventive in itinere obvium habui quendam Lyubranski, Castellanum Brzestensem, inimicum mihi difidantem,[z] cuius servi inicium littis fecerunt. Quem tandem mei famuli vulneraverunt, me protunc infirmante et egrotante, et eo tempore de colyepka [a] descendens et in equum conscendens, eum amplius lacessere non permisi. Ac tamen in vulneribus illi illatis decessit.

Dum itaque eventive accidit, et eventus super omnes stanos [z] hominum volant, ex consilio amicorum meorum et Magnifici Domini de Lasko, Pallatini Siradiensis, animo bono humilibusque precibus ad Vestram Illustrissimam Serenitatem refugium habeo, petens pro subsidio ad Sacram Maiestatem Regiam, Dominum meum, que me cittacione horribili et inconsueta cittavit ad Conventum proximum generalem Pyothrkoviensem.

Precor Vestram Illustrissimam Serenitatem pro intercessione ad eandem Sacram Maiestatem Regiam, nam dignum mihi videtur uti frui gracia et intercessionibus Vestre Illustrissime Serenitatis, et me excusatum apud se ipsum habere velit ex causis superius descriptis, ex quibus persona mea Vestram Illustrissimam Serenitatem visitare non possum. Pro aliis tamen temporibus obsequia mea Vestre Illustrissime Serenitati observabo, duntaxat Vestra Illustrissima Serenitas imperare [b] et iubere dignetur.

Ipse cum Magnifico Stanislao de Lasko, fratre meo, Lithuanie existens optinueram [z] ad Sacram Maiestatem Regiam id, quod per Nobilem Martinum Chodowski, Rothmagistrum Corone, remiseram anno elapso.

Serenissime Princeps, Domine mihi Clementissime.

Precor Vestram Illustrissimam Serenitatem, dignetur in memoriam reducere Sacre Maiestati Regie obsequia mea, Domino Alexandro per me, et tandem Illustrissimo Domino Regi moderno, Domino meo, quondam indesinenter exhibita, non insequendo eos cum cane levek,[c] sed cum hasta sanguine tincta, tum contra Turcos, tum eciam Tartaros, scribens id ad Vestram Illustrissimam Serenitatem, ut ad Principem militarem [d] et bellicosum. Estimo, quod Vestram Illustrissimam non offendam Serenitatem, dum et Dominus Szlyk ex me habuit in ostroga illis temporibus comittem bonum, eciam quia exercitum Alemanicum duxi, inchoando a Frangvath usque post Gedansk ad Puczek, id faciendo, quod ad bonum pertinet. Et id totum feci pro gracia Domini et pro necessitate tocius Corone. Que superius descripta non favore et ingracia Sacre Maiestatis Regie ad presens mihi recompensantur.

In redeundo de Leopoli descenderam ad Dominum Pallatinum Siradiensem, ad castrum Saharos, quod accepit cum Domino Leonardo,[1] ductore exercituum Regis Romanorum, comite suo. Et protunc advenerat exercitus Regis Ioannis Ungarie, continens in se XI milia hominum, includendo peditum tria milia; bombardas — dzyala XX et ultra habebant. Sagittando per tres dies, idem exercitus cum magna levitate rediit.

Regis eciam Romanorum exercitus continebat in se quatuor milia hominum peditum et duo milia hominum Polonorum cum Domino de Lasko, Pallatino Siradiensi. Miserunt tandem ad Dominum Pallatinum Siradiensem, ut cum eis congrederetur, et dixerunt per Dominos Pallatinum Szyedmygrodzensem [2] et Dominum Petrum de Pereni, quod ob eam causam congressum et bellum continemus, quoniam te hic videmus, et te auro et argento emeremus. Et multa verba amicabilia, ad concordiam attrahencia, inter se et inter Illustrissimos Reges statuendo dixerunt. Circa omnia premissa fui, id Vestre Illustrissime Serenitati significo, Domino meo clementissimo.

Hec concordia nullo alio corrupta videri possit inter Reges Ungarie et Romanorum, duntaxat casu militis Corzyan cum alio exercitu Regis Romanorum, continente in se XX milia hominum in terra Szlovynensi, qui per astuciam permisit se defraudari, vinci[e] ac debellari, cum Dominus Pallatinus Siradiensis treugas pacis capit, prout sum edoctus.

Quid mecum Dominus Siradiensis locutus est, ea non videntur mihi fuisse licita ad describendum Vestre Illustrissime Serenitati, cum ipse in manu mea calamum non habeo.

Etsi digna res Vestre Illustrissime Serenitatis videretur, quod Vestra Illustrissima Serenitas cum prefato Domino de Lasko in propriis personis se mutuo videre voluerit. Et ubicunque Vestre Illustrissime Serenitati id lubuerit, Pyothrkovie-ne aut Thorunie, hoc sistat ad velle Illustrissime Serenitatis Vestre. Constituetur Pyothrkovie mea in causa supra dominicam primam post festum Conversionis Sancti Pauli, hoc est per tres septimanas post festum Trium Regum. Hoc significo Illustrissime Serenitati Vestre, quod lubens viderem immeritus, quum Vestra Illustrissima Serenitas apud Maiestatem Regiam totum perduceret ad bonum efectum.[z] Hoc agnovi Lithuanie cum Domino Stanislao Laski, dum nobis Sacra Maiestas Regia dixit: Quod Sue Illustrissime Serenitati, Domino Principi, facitis, mihi facitis. De mea quoque re consilium Corone non silet et homines terrestres.

Precor Dominum mihi clementissimum pro litteris ad Dominum Archiepiscopum modernum,[3] ut mihi in subsidio esset in hac necessitate mea, cum eciam mihi graciosus est et amicus, et in quantum Vestre Illustrissime Serenitati lubuerit, ad omnes Dominos Consiliarios Corone.

Dum itaque sum per Sacram Maiestatem Regiam interim correctus,[f] quod sum in loco consiliario dehumiliatus, et hoc in prelocando homines iuvenes, me sene obmittendo, et de capitaneatu Lanciciensi sum delocatus, humiliter et attente Vestram Illustrissimam Serenitatem oro, velit Vestra Illustrissima Serenitas pro me intercedere ad Sacram Maiestatem Regiam, awunculum[z] Vestre Illustrissime Serenitatis, Dominum meum. Quod mereri Vestre Illustrissime Serenitati cum omnibus amicis meis temporibus perpetuis et toto conamine studebo...

Datum in castro Boryslavyczensi, festo Sancte Helizabeth Electe, anno Domini 1537.

Eiusdem Vestre Illustrissime Serenitatis servus
Nicolaus de Russoczicze, Castellanus Byechovyensis,
Ravensis Capitaneus etc.

a) *in margine alia manu:* ein behangener wagen

b) *in ms.* imparare

c) *in margine alia manu:* mit eynem vorleyenen *hunde*

d) *in ms.* militalem

e) *in ms.* vici

f) *in ms.* corectus

z) *sic in ms.*

1) *de Vels.*

2) *Zapolya.*

3) *Ioannes Latalski.*

*Ob certas discrepantias cum textu latino publicamus hic etiam versionem polonicam eiusdem documenti, datam 21.XI.1537:*

Naiasznyeyszę kxyazą *etc.*

Przi thim yesthem bil umyslil V.K.M. sdrowye nawyedzicz a przigodą szwa oznaiomycz, alye ysch nyemocz a choroba moia mnye sgothovalego ku Vaszey K.M. nye dopuszczila y thes szeymy pruthkie,[z] ktore na nass usthavyono przed valnym szeymem Pyothrkowskim, a thak gdim iachal

przed pulroczim na sseym[a] povyathovy Srzeczky w ziemi Poznanyskyey z roskazanya Crolya Iego M., tam zem szią zyachal w drodze przigodnye z nyakiem Lubranyskiem, castellanym Brzesczkim, z nyeprziaczielyem szwoym odpovednym, y kthori prziczyna ku swadzie przes sluzebnyky szwoie dal yesth, od sluzebnykow moich ranyon. Gdim przibyegl choro a niemoczen, na then czas bandacz wyszyathwssy z kolyepky, wssyadlem na kony y nye dopusczilem go bicz, yedno is w thich ranyech yesth smarl, gdis przigodnye szią stalo a przigoda nad wsslyakovem y stany yesth chodzi. Umyslem dobrem y s poradą panov przyacziol y pana z Laska voievodi Siraczkiego, bratha mego, yesthem szią ku V.K.M. pokornemy proszbamy uczikl, proszacz o prziczina ku Crolowi Polskiemu, Panu memu. Bo mya Iego Crolewska M. raczil pozwim swoym a nye zwiczaynym pozvacz na sseym[a] blisko przisly Piothrkowsky na Trzi Crolye.

Prosze mego M. Pana o prziczyna, iakosch tho pana povinnego Crolowi Panu nassemu y nam wssey Korunye, ys nam tho corunnym ludziom y obivathelum dobrze przislussę lasky a prziczini V.K.M. uczinacz a mnye na then czas aby Vasza K.M. raczil za vimovionego myecz, czem dla thich prziczin vissey vipissanych u Vaszey K.M. szwa persona nye mogl byecz, a na ynsse czassy szwa sluszba chcza zachovacz, day Panye Boze, aby iedno roszkazanye V.K.M. bylo, iako zem thes tho byl uproszil s panym Stanislavim Laszkym, brathim moim, w Lithphie bandacz u Crolya I.M., roku przeslego, w czem zeszmy byly ku V.K.M. poslaly slyavhethnego Marczina Chodowskiego rothmistrza coronnego.

Myloscziwa Kxyazą, cziby V.K.M. raczil przipomyonacz wuiowi swemu mylemu, kthorem poslugy czynyl, Alexandrowi, brathu iego, y yemu za iego panowanya, a sdrowa przes wszithky czassy nye viprzagaiacz, a nye chodzilem za I.C.M. z pyeskim lyewkim, alye kraphuc[z] szvoie drzewo, czastho krphya oblewam, bacz naprzeczyw Turkom, badz naprzeczyw Tatarom. A pisse ku V.K.M., yako ku kxążączyu ricerskiemu a panu boyowemu, a wyerza ys thim V.K.M. nye obrazą. Bo thes y pan Slik na ostrodze myal ze mnye dobrego thovarzissa w ony czassy przesle, y thes yzem myemyeczki uph[c] provadzil, poczawssy od Svemvorthu,[b] ysz za Gdanysk do Puczka czynyacz czo dobremu nalyezi, a thom wszithko czynyl prze laską panyska a prze potrzeba korunna, a dzis my szią tho nyelaską crolyewską oddawa, a gdim bil stapil ku panu voievodzie Sziraczkiemu iadacz ze Lwowa, gdi zamek Scharis[d] wssian. Z thovarzissem szvoym panem Lyenarthim,[1] Crolya Rzimskiego z heythmanym, tamze bylo prziczciagnalo voysko Crolya Ianowo Wagierskiego na then czass, i kthorich bilo przes iedenasczie tiszyacz, a pyeszich myeli trzi tiszyacze y dzial myely dwadziesczia y kilka, a strzelyaiacz na ssią przes trzi dni y arcz[e] vyodacz yeszcze, woysko Crolya Ianowo Vagierskiego nazad z wielka lyekkosczia wcziagnelo.

Crolya thes Rzimskiego bylo cztherzi tiszyacze lancznechtow s dzialy a dwa tisziacza Polyakow s panem voievoda Siraczkim, y poslaly do pana woiewodi Siraczkiego, yszby szią z nyemy zyachal, y povedzialy mu przes vaiewoda Siedmigroczkiego y przes Perin Petra, ysz szą dlathego z myemyeczkim uphem nye byem, ys czią thu w nym vydzemy, kthorego byszmy zlothem y zrzebrem radzi odkupily; y wyelye slow przyaszlyvich ku sgodzie myedzy szoba y myedzi crolmi stanovyacz movily, a tha sgoda nyeczem ynssem myala by szią przekazicz myedzy Crolyem Rzimskyem a myedzy Ianem Wagierskym, yedno vpadem Corzyanovem s drugym woyskim Crolya Rzimskiego lyczby pyacznasczie tiszyacz w Slovynskiey ziemy, ys szią

